IANI ANYSII
VARIORVM POEMATVM
LIBRI DVO.

IANI ANYSII VARIORVM POEMATVM LIBRI DVO

ALIIS EDITIS ADNECTENDI.

Ad Librum Impreſſum.

Xiſti liber impudentèr audax
e Pèr uirûmq; uagâris ôra docta,
Ecquid pœnituit procacitatis
Aequo dum cupis altiùs uolare?
Quid? tantùm uitioſa ſi notarint
Offenſi maculis leuiq; culpa,
Pulchris præteritis? magis dolebis.
Nanq; hoc tempore uis ſeueriorum
E Lunæ cecidit ſinu Catonum
Quibus carpitur omnis ôre neuus
Iunonis Cypridosq; Palladosq;.
Sed tu cauſa doloris es Libelle.
„ Peccatum ſibi gignit ultionem
„ Qua nil obſequioſius parenti eſt.
Sed ſpero exorietur æſtimator
Virtuti & uitio æqua qui rependat.

Ad Muſam.

Otia ſi emeritum requies & mēta laborum
Certa manent, fas eſt hæc mihi, Muſa dari.
Sed multo eſt aliter, uix dempta una, altera tollit
Cura caput, dum net fila ſecunda ſoror.
Si ueſtrum eſt curis tantum impalleſcere Diuæ,
Deuotum dedo meq; meumq; caput.

Ad Lectorem.

Mortis formido, fortunæ & liuor iniquæ
Noſtra dari in lucem compulit ante diem.
Mox emendandi grauior ſi cura ſecuta eſt,
Quod tempus docuit conſule amice boni.

De Satyris.

Impulit in Satyras Lucilly nobilis umbra,
Quem tenet occulto Parthenopea ſinu,
Succede, o quantum dixit tibi reſtat Anyſi
Aduerſus bellum perdita flagitia.

Ad Cæciliam.

Argento ex ſolido aut fuluo ſi feceris auro
Eois caueam prædıtam Iaſpidibus,
Num mutaturum ſperabis Acanthida dumoſi
Tanti eſt libertas candida Cæcilia.

Ad Hieronymum Seuerinum.

Phœbiq; curſus & labores Cynthiæ
Mundi & rotatus ſiquis auet ediſcere
Non ferrifabros aut petat tignarios
Sed Archimedem uel Cononem quempiam.
Hieronyme Seuerine ita me ament dy

Perſæpè ſum conatus obſequi tibi
Tentare partis atq; Rhetorum ſuas,
Sed obſtitêre montis incolæ ſacri
Diuæ Camœnæ maximi proles Iouis.
,, *Commune nil cùm Cyrrha habet forum loquax.*

Ad Merinen Cardonam.

Non leuis mihi mentio Merine
De te cúm fieret, repentè totum
Concuſſum caput eſt, ter atq; ſacro-
-ſancta ſternuit approbatione.
Nunquid de populo es Merine Olympi?

Ad Tiberium Ianuarium.

Ad te cúm uenio meridiatum
Omnium Tiberi pater lepórum,
Ad Pindi uideor uenire ſyluas,
Ad Cyrrhæ uideor uenire ualles,
Nympharum ad chóreas ſacroſq; fontes.
Quid? cúm das quoq; cœnam, ubi intèr undas
Sebethi, natat arbiter Veſeui
Aut toſtæ Aenariæ aut Salerni amæni?
Tunc ſordent latices dapeſq; diuûm
Sordetq; Aethiopum beata menſa.

Ad Eraſmum.

Scripta ubi noſtra legit naſutus Perſius, ille
Magni adeo Charitas qui Venereſq; facit,
Diſpeream, propè ni ſtomachum diſrumpor Eraſme.
O're ferent ſemper toxica Grammatici?
Quo ferat hæc animo Budæus Apollinis hoſpes
Scire aueo & núm quid comparet auxilij?

Ad Aureliam.

Aurelia, heu pergis miſerum me pérdere amantem
Promiſsis, quæ mox differat aura leuis.
Teq; ſimul pergis crudelis pérdere flammis.
Diſperеam nì tu prorſus es Aurelia.

De Britio potore.

Potoris Brity Galanthis *uxor*
Oua ſuppoſuit cubanda, bellus
Potare hic Britius *ſtatim capeſsit,*
Excluſa & prius oua ſunt, bibendi
Illi quàm fuerit modus repertus.

In Orum.

Es nimius. mula, libris & ueſte rogandis.
Quin emis atq; iſtis úteris Ore *tuis.*

Ad Martinum à Portugalia.

A Ioue *ſunt* Reges, *Saturnius imperat aſtris*
Tu Regum *es ſoboles progenieſq;* Iouis,
Huc etiam accedit Martine *quòd aurea templis*
Te ſæpè admittit Calliopea *ſuis.*
Quid mirum eſt igitur mittit ſua carmina Ianus
Si tibi cenſori Ianus Abantiades
Intèr Cœlicolas Ianus *non ultimus & cui*
Parthenope factat mitis ut Indigeti.

Ad Diuum Ianuarium.

Mira qui rerum ſtudioſiore
Quæritis cura intrepidi Sophiſtæ,
Sacra naturæ omniparentis auſi
Ferre in apertum.

Quiſquis, aut diuûm ſibi uiſus eſſe
Fidus interpres, gremium parentis
Aut penetraſſe ingenio, frequentes
Vos uelim adeſſe
Dicere & cauſam penitùs latentem.
Cúr cruor damæ fluitat? ferocis
Cúr coit tauri? an potiùs minora
Iſta fatêre, àd
Noſtra qui ſpectas tacitus ſtupeſq;?
Obuiàm factum ut caput eſt reciſum
Longa pèr ſecla egelido cruori,
Féruere pinguem
Sanguinem, ut feruent latices abeno
Igne ſubiecto. capite at remoto
Longiùs, ſpumas uelùt igne refri-
-geſcere dempto.
Confer his noſtris monumenta priſca.
Tantalus dijs hoſpitibus paraſſe
Fertur indignas epulas acerbo
Funere nati.
Feruido prunis Pelopis lebete
Membra fumabant rapidis coquenda,
Iupiter buccas tumefactus ambas
Abſtinet illo
Prandio audacis Phrygis, ultionem
Impium òb factum meditans, refertas
Eſurit menſas miſer inter, undas
Et ſitit inter.

Hæc anus ſeuit Phrygias pèr urbes
Credula, & ueris numerantur, at dij
Viderint nunquid ſimularit iſtæc
Cana uetuſtas.

Sanguinem fudit tepidum Diones
Nata dilecti cupiens Adonis.
Fudit, Aetólus roſeum lacertum
Strinxit ubi enſis

Mœnia ad Troiæ dubió duello.
Sanguis an diuæ ſacroſanctus aſtra
Obſecro terris iterum relictis
Pulchra reuiſit?

Hactenus nugæ, ſatis eſt uagatus
Floridi ſermo pèr aperta campi.
Noſtra te mitis prece Ianuarì
Vrbs uocat omnis.

In Glaucum.

Glauce, oculis quales ſunt Galli fœtibus ouo
Occluſis audax aſpicis Antiopen.
Omnis pèr ramos fugit ut muſtela rubetam
Sic monſtrum hâc illâc te fugit Antiópe.

In Frontonem.

Fronto impudenti fronte cúm ſolœciſmum
Facit, pudore nil mouetur, exultans
Sed gaudet ac ſi ſit locutus antiqui
Lingua Catonis, Ennij, Accij, Plauti,
Noſtrumq́ ſeclum barbarum uocat & infans.
Frontone permutare Apollinem diuæ

Parant

Parant Camœnæ, linquere & ſacrum Pindi
Nemus, domúmq; commigrare Frontonis.

Caucaſi, natarumq́; eius Transformatio.

Heroes quoq; uenérunt ad Regiam *Olympi,*
Iunonis uiſum thalamos ſanctosq́ hymenæos,
Nanq; Atlantiades *iuſſu uerbisq́* Tonantis
In tris uoluentes ſpectacla indixerat annos,
Iupiter haud aliâs eſt uiſus lætior, illa
Quàm tempeſtate, an lætis ſucceſsibus, hoſte
Deuicto, an ducta optata pulchraq́ ſorore?
Caucaſus Euxinis *latè regnabat in aruis*
Et rigidos populos ſecura pâce regebat.
Huic adeò inceſsit ſpectandi mira cupido
Regales pompas, ſtudiumq́ incenderat illi
Aemula natarum cûra. ex Mæotide *nympha*
Drys ſuſcepta uirum & procéro corpore Pitys
Expetit, examen iuuenum reſpondet amantum.
„ *Non auræ, ignis, aquæ uis eſt uehementior æſtu*
„ *Pectoris, inſtimulante dea tumido æquore nata.*
Caucaſus, egregius Cœli *obſeruator & unà*
Ab tumido Euphrate *& celſa* Babylone *Prometheus*
Cùm Ioue cui commercia erant, palatia Cœli
Conuiuæ aduenıunt, ſolys quos accipit aureis
Inſignis Maiæ *ſoboles* Cyllenius *ales,*
Ambroſiæq́; deûm dapis auláiq́; magiſter
„ *Nam grati heroes uirtutis fœdere ſunt dys,*
„ *Hæc cognata hominum connectit pectora magnis*
„ *Cœlicolis, diuûmq́; alto dignatur honore.*

" Flagitium cóntra oderunt pia numina diuûm
" Dicereq́; & facere indigna & fœdiſſima rerum.
Roſtro Aquila incuruo fuit olim iniurius hoſpes.
Perfidiæ pœnas nemora incolit alta Lycaon.
Conuictor ſuperûm damnatur Tantalus Orco.
Sat Spartæ opprobrium, Phrygius ſat notus adulter,
Fatum Atridarum, Aegiſthi atq; ultoris Oreſtis.
Clarior oraclis Phary eſt ſententia Protei.
Immemor hoſpitij dum Caucaſus arrogat audax
Cuncta ſibi, natæ dum ſe diſcrimine nullo
Vel ſuprà iactant Veneremq; & Pallada diam,
Dum non conceſſis exercet furta Prometheus,
Iupiter indignans tumidas exarſit in iras,
Non últra paſſus ſceleri concédere tantum,
Nec potis ultrices Némeſis compéſcere habenas,
Sed pater omnipotens correpto fulmine, flamma
Hunc tetigit conixantem maiora lacertis,
Mox ſublime caput tollentem iraſq́; reflantem.
In rigidum uertit montem. poſt inde ſuperbas
Illas afflauit cœleſti fulgure & igni.
Nymphæ infelices quandò hæc dementia cepit
Brachia tendentes, ramos uidêre uirentes.
In Piceam hæc uerſa, in Quercum iactantior illa,
Aeternúmq́; hærent affixæ montibus altis
Atq; etiam pulſant frondenti uertice Cœlum.
Caucaſi in exeſa pœnas dat rupe Prometheus
Aeternum exemplum audacis pèr ſecula fraudis.

De Carlo Imperatore
Ad Ant. Oriam.

Hæc, mihi noſtrorum ſcitanti oracula diuûm
Reſpondit præſes nobilis Heſperiæ.
Tutiùs inferre eſt bellum quàm ferre, periclum
Sæpiùs eſt factum non dubia eſtq́; fides.
Agmen Achemenidæ & Parthorum territa claſſis
Terga dedit noſtris littora ad Iõnia.
Africa, quo trepidat terra exanimata tumultu,
Euphratesq́; anceps matris in antra redit.
Nuntia diffúgit totum iam fâma pèr Orbem,
Carle dei inuicta corripe ſigna manu.
Quid ſtas? rumpe moram ducibus tot & agmine tanto
Ac claſſe, & lætis omnibus auſpicijs.
Sic tibi non Rémora aut uis aduerſabitur ulla
Sed Zephyri in portum carbaſa plena ferent.
Antoni, ueteris uirtutis certa propago
Hæc inſtillato Cæſaris auriculæ.

Ad Bernardum Taſſum.

Si quid agam, rogitas. facio hac ætate ſenecta,
Omnia quæ iuueni non licuit facere,
Deniq; perfricta ne fronte pudenda reuoluam
Omnibus agricolæ fungimur officijs.
Facturum eſſe ſenes, uetus eſt dulciſsime Taſſè
Neglecta illo æui tempore floriferi.

Ad Bartholum Aloen.

Barthole, melle magis cúm ſis & nectare dulcis
Cúr tam triſte tibi eſt nomen, amarities?

Ad Ant. Oriam.

Lotoſ'ne dulcis me moretur tam diù
An' quæ uoluptas alia? quæris ſedulò
Phaethontis inclyti genus Oria inclyte.
Ego, haud amice te tenebo pluribus.
Non Lotos ulla me moratur, Heſperi
Non ſylua amœna, aut Chloridos Zephyri nemus.
Sirenq; & urbs me territat molliſſima
Ludiſq; miſta pœna crudeliſſima,
Circesq; luſtra, moly cùm non ſit mihi
Nec cera pinguis obſtruendis auribus,
Qua fretus iſtâc tranſijt dux Neriti.
Quid, uirga ſi fors offerat ſeſe aurea
Qua corda Ditis placem inexorabilis?
Non lucus hic non plurimus nobis uiret.
Id intèr aſpra ſenticeta, cantibus
Faunos ciemus atq; Nymphas montium.

Ad Leonidam Viualdum.

Quis'nam homines hydrops inuaſit dirus? hirudo
,, Sanguinis eſt ſitiens ipſa paluſtris, homo.
Viualde, hæc nullis non propinamus amicis
Fonte ab inexhauſto pocula Tantalea.

In puellas nequam.

Prô natûra potens potenſq; Cypri
Quód tantum facinus, ſceluſq; tantum,
Vix natæ, malè pruriunt puellæ
Procantùrq; lupæ pudore nullo.
Quis'monſtra ex Ithaca ultor iſta perdet?

Ad Helionoram Sanſeueriniam.

Poſcis, rogas, expoſtulas, precibus inſtas,
Te templa ſiſtam dux in alta Parnaſi
Celſam, ſuperbam gloriaq; ſublimem
Vel illa Regis ante dona Pactoli.
Ego Helionora hoc non minus aueo quam tu-
-temet; ſed eſt tamen neceſſe praecedas
Pulchra tu opella ut ipſe ſubſequar cantu
Quem perlibenter audiant, chorus Cyrrhae
Paterq; Phoebus; atq; conſecrent Famae.

In Famem.

Das leto iumenta Fames, hominesq; ferasq;
Vertis & in rabiem perniciosa canes.
Sed ſi te auerſus deuitat forte Gradiuus
Non adeo nulla eſt gratia habenda tibi,
Omnis enim ſub Marte phalanx ita nunc meret Orci,
Vt Ditis dicas deſeruiſſe domos.

In Regulum.

Quaeſo Regule quae arrogantia haec eſt
Centum cum prope ſeruias Tyrannis,
Artem aſcribere ſic tibi imperandi?

Ad Troianum Ieſualdum.

Ingenium noſtrum Troiane ad ſydera tollis
Immenſisq; uocas fluctibus Oceanum.
Non ibo inficias Naturae munere nobis
Eſſe ſubilluſtris non nihil ingenij,
Sed nihil ad triſtis curas duroſq; labores,
Perpetuas noctes perpetuoſq; dies,

Nulla dies aliqua nobis ſinè linea abiuit
Tot ſeclis cano tempore progenitis,
Picæ ſi inſtituant ſyluis hoc ordine uitam
Næ ſint doctrina maximæ & eloquio.
Mortales falſò exigua dè ætate queruntur,
In cauſa cùm ſit perdita nequities,
Dè primis annis luſus, gula, ſomnus, amores,
Seruiles artes, otia, luxuries.
„ *Felix qui iuſſit monſtra hæc maleſuada ualere*
„ *Ingenuis ornans artibus ingenium.*
At ſi ars naturam, & ſequitur ſapientia utranq;
Et lingua, hic ſit homo par quoq; dijs ſuperis.

In Annonam.

Non peſtilentia quatit ardentis faces
Vomitq; uirus è profundis faucibus.
Non illa Mauors crebra uibrat fulmina
Miſcetq; terris maria, perditq; omnia.
Sed pâce tellus læta perfruitur parens,
Candente dum Sol ôre terras aſpicit,
Annonæ & hæc eſt caritas prô Iupiter
Quanta haud patrum pèr ſecla difficillima,
Et pretèr hæc uer indoles pulcherrima
Areſcit anni denegatis imbribus,
Cùr horna ſpes perdubia ſit mortalibus.
Num triſte quod commiſimus piaculum
Quod ante multo uertat illis Lemnijs?
Suprema an ultio laceſſiti eſt dei?
Nam quid ſceleſtæ perpetrarunt non manus?

Si nôta cuiquam Cœlitum cauſa eſt mali
Quam ſortibus Muſæus haud ſat explicat,
Hanc edoceto, quis litandum & hoſtijs.

Ad Regulum.

Sic ſtatuit tandem Fors improba, materiam mi
Tóllere felicem, linquere amaritiem,
Raró ſuccurrunt læta ac iucunda Camænis.
Ne quæſo iſtuc mi Regule da uitio.

Ad Apollonium Merendam.

Sim quotus in noſtra, reor, es non neſcius urbe,
Atq; ſacros inter qualis honore choros,
Cur ego Apolloni uiuam rurì, urbe relicta
Vellem dicere, ſed me tenet Harpocrates.

Ad Andream Carafam.

Andrea, officium quoniam promittis amicum,
Accipe mandati nobile iudicium.
Quod natûra parens potuit dare pulchrius Orbi
Hoc, & ſancta fides ſancta & amicitia eſt.
Sæpè uſu ueniunt tractanda negotia, quæ non
Pèr te tractari plurima cura ſinit,
Ecce quies animi occurrens promittit amicus
Officium mira ſedulitate ſuum,
Committis, mandas, defers, illi omnia credis,
Perſonam tradens exuis ipſe tuam.
Mandato arrepto ſi fortè fefellerit, hunc tu
Quó quæſo in numero dixeris eſſe hominum?
Non maius monſtrum terris cecidiſſe putato
Cornigeræ Phœbes ubere dè gremio.

Monſtrum dè medio tollendum, uincula ſancta
Vt pote quod fidei & ſoluat amicitiæ.
Iura hunc proſcindunt, huic uacca liquata Perilli eſt,
Culeus hunc, anguis ſimiolusq; manet.
Gentis erat uitium feritas immanis & atrox
Carnibus humanis Thrax ubi pauit equos.
Cacus Auentinum obſedit notiſſima montem
Belua, uitabat quare eà quiſq; loca.
Autolycum, Sinin, Antiphaten, Scyrona, Procuſten
Monſtra hominum fugere ut certa & aperta, fuit,
„ *Mendacem haud facilè fugias uanumq; & habentem*
„ *Ore mel, in cæco pectore amaritiem,*
„ *Omnia uertentem in proprium quæſtum & ſibi amicũ,*
„ *Mandati immemorem ac nobilis officij,*
„ *Hoſtem naturæ diuinæ, humanæ ruentem*
„ *Iura, pecus nitidum triſtis auaritiæ,*
Dij Cœli aſtrigeri qui tecta nitentia habetis,
Vos quæſo hanc Lernam perdite terribilem,
Perdite centicipes hydrasq; canesq; trilingues,
Tartareas uulpes tartareosq; lupos.
Dys genitus contra quiſquam ſi naſcitur Orbi
Præſidium ac certum gentibus auxilium,
Non'ne parem hunc ſuperis habeas Phœbóq; Iouiq;
Cuiq; omnis fumet ceſpes odore ſacer?
Orbe peragrato extinxit Semelèia proles
Quicquid tum ſceleris flagitijq; fuit,
Amphitryoniades canum extendetur in æuum,
Et quis non celebrat Theſea magnanimum?

Nicolei

Nicolei cúra commiſſum nobilè ouile
Andrea, hos inter teq; Camæna feret.

In Cyniſcum.

Perdices docuêre te Cyniſce
Vt diſcrimine nullo & hos & illos
Incurues, puerosq; uirginésq;,
Quin natos proprios: ut igne tales
Peſtes Iupiter obruat ſub Orco.

De Sæculo noſtro.

Pró tempora improba atq; perditum ſeclum,
Illi, prius qui exempla pulchra uirtutum
Erant, Pelopidæ ſunt, ſed obſecro quales?
Præ cæteris eſt ille nobilior, Alpha.
Qui neſcit arrogans Chorebus; aut Irus.
Qui fœnore eſt oppreſsior, ſui largus,
Vorator alieni, cruore non unquam
Saturata hirudo, carnis helluo humanæ.

Ad Nicolaum Rhodulphum Cardinalem.

Ne me Rhodulphe ne peritum appellita
Doctumq; rerum, nomine ipſa quoparens
Natura ſit, dignanda tantùm nobilis.
Catena rerum adamántina aſſequi queat
Quam nulla mens mortalium, undiq; alligat
Immenſa mundi nexu inexplicabili,
Concentus unde naſcitur ſuauiſsimus
Rerumq; origo æterna & admirabilis.
Infinitas ut rerum ita eſt ſcientia
Deprenſa nullis bruto amictis tegmine,

Sed deſino, prouectus ôre longiùs
Infanda prolocuto & ábdita in ſinu
Almæ parentis, filiæ unicæ Dei.

In Imminentem tempeſtatem
Ad Herculem Eſtenſem Ducem Ferrariæ.

Nulla eſt Oceani Ceto non gratia habenda
Qui non iniquis imbribus óccidit & niuibus,
Non bruma pluit in tota nec Aquarius urna
De môre crebris uuidus arua rigauit aquis,
Languet pulchra Ceres humilis caput, arida plantas,
Fœdata uultum, informis os, exanimata ſiti,
Prô ſcelerata ſitis tantum auſa, interficit hornam
Spem, Ditis áduocans minas anguicomasq; deas,
Quod ſi non melior tandem deus aſſicit, Orbem
Non tanta ſtrages ultimo perdidit exitio.
Edois en rediit pennis ſtridentibus aura
Nimbosq; & Auſtrum diſsipans Syrtibus undiſonis,
Quo tandem uſq; Aquilo uehemens incumbet in agros?
Sperabitur quid frigidis tandem ab Hyperboreis?
Prodigia heu terrent quæ incertus nuntiat autor
Boues locutas, igneas & cecidiſſe trabes
De Cœlo. attonita án metuant quòd pectora diras?
An quòd flagellet Pan, grauis terribilisq; deus?
Tu quem ſecretas docuit Cyllenius artes
Dic Hercules ec tot quá lux fulſerit in ténebris?

Ad Gentilem Albertinum.

Vnde, rogas ducat nomen clariſſima Nola
Ocellus atq; corculum Campaniæ?

Accipe Gentilis, repetoq; abſtruſa per æuum
Curuum ſenecta, obliuioſum ac mortuum.
Ductor Abantiades externas quærere ſedes
Nouam'p pónere occipit coloniam,
Incuruo & ſtatuit munitas littore Cumas
Natura & arte. duxit eſſe non tamen
Robur ad imperij ſatis, infeſtantibus æquor
Cùm claſſe piratis, remota ergo à mari
Optauit loca, nec placuit non æquor Abellæ
Vertendum aratris, Libero & ſacrum patri,
Hac quoniam aſcripta eſt adeò gens agmine tanto
Non tota, graio id dicta Nola nomine eſt.

Ad *Ruſticum.*

Quibus malis uerſemur & quantis, mihi
Quandò loqui non liberè ſatis licet
Tacere duxi, non parùm tibi inuidens
Ab hiſce abeſſe contigit cui longiùs.
Nanq; optio ſi detur alterutrius,
Audire malim, quàm uidere hæc Ruſtice.

Ad Ferandum Carapham Ducem Nuceriæ.

Rerum mearum quòd libentèr ſuſcipis
Curam, quid eſt Carapha nobiliſsime?
An noſtra gratia, an merita? minimè quidem.
Virtus ſed ipſa cogit optima imperans,
Quæ parcà mihi non uſq; fuit adeò dea.

Ad *Herſiliam.*

Dic mihi quid prius eſt ortum prò limine Olympi
Fulmen an ignitum, fulgur an igniuomum?

Si tibi propoſitus fuerit præpoſterus ordo
Vltrò quod uerum eſt dixeris Herſilia.

Ad Coriolanum & Capycium.

Non pedibus pódagra affectis aptare cothurnos
Coriolane decet.
Tu, cui feruidior ſanguis uiridisq; iuuentus;
Indue commodiùs;
Nec comes abfuerit ueteris memor officioſus
Scipio amicitiæ.
Ite pari greſſu, par cīa inſigne. Capyci &
Te decet iſte labor.
Parnaſi ſaltus luſtrate alta & iuga Pindi
Auſpice Melpomene.

Ad Nicolaum Gentilem.

Si patrijs deſes laribus duxiſſet Vlyſſes
Aeuum, fortunæ tutus & in gremio,
Non ille in magno magnus caneretur Homero
Nec canerent caſtam carmina Penelopen.
Si tua te Rhodos ambroſijs fouiſſet in ulnis
Non ires clarus forte per ora hominum.
„ Robur, opes, formam, imperium non noſtra, ſed illa
„ Eſſe puto uirtus quæ generoſa parit.
Deſine Gentilis, triſtis turpisq; querelæ,
Eſt ſi uirtutis cura laborq; comes.

Ad. D. Petrum Toletam.

Toleta, cúr ſermone de pulchro diu
Te cælo amicum? quem deæ

Habuêre patris Apollinis ſacer chorus
Sub Cyrrhæ odoro umbraculo
Conueſtiente corymbifera edera & ſuper-
-tegente lauro plurima.
Non mentior Toleta, ego ipſe interfui
Non obſeratis auribus.
Dixêre. nunquam poſſe celebrari ſatis
Te carmine aut docta lyra,
Qui nobili ortus genere Ibero ab Hercule
Priſca & Pyrene, deſidi
Non otio ſtudyſq; inertibus, ſolent
Pleriq; ut omnes perdito
Hoc facere ſeclo, æuum tuum contriueris,
Sed artibus pulcherrimis
Quas Lælij illi & Scipiones & uiri
Exercuêre nobiles
Quoſcunq; fama uexit alta ad culmina
Virtutis inclytiſſimæ.
At uiua ſemper uos manebit gloria,
Obſcura mors iſtos premet.
O uos beatos ter quaterq; & amplius
Quis perfrui ſemper licet
Veſtris & opibus nullius opis indigis,
Quis uita debet plurimum.

Ad Valentinum Gentilem &
Horatium Anyſium.

Per te proficiet ſi noſter Horatius, ó quæ
Munera Gentilis te puerumq; manent.

Lecta ſuis manibus ſeruant tibi ſerta Camœnæ,
At puero condit tris Domicilla fauos.
Si iuuenes éritis memores ſenioris Anyſij,
Vobis promittunt munera dupla Deæ.

Ad Marcellum Palonium.

Non dum ulcus, refricas obductum docte Paloni
Et teretem cogis per, lachrymam ire genas.
Pompeij rarum memoras in Anyſium amorem.
Quis deus illam diſiunxit amicitiam?

Epitaph. Clementis Pont. Max.

Vigilaſſe rebus profuit parùm Clemens,
Quandò ſoporem inexcitabilem dormis.

Ad Socratem.

Vis ſcire quid ſit Ira, quid Fors, Socrates?
Talis frequenter calculisq; ludito.

Ad Scalam.

Quis nam itur Cœlo ſcalis Scala optime mente
Prænitida, atq; animi præpete remigio.
Ergò Fabritium uano mœrore, fruentem
Proſequeris diuûm dulcibus Ambroſijs?
Illúm felicem cui non uiceſima fulſit,
Læta argentatis Cynthia uecta rotis.

Ad Tutauillam.

Aut facilis eſſe déſine, aut moleſtias
Tutauilla fer quas affero quotidie.

Ad Philocalum.

Priſci, qui uiuos tabulis & marmore uultus
Expreſsêre manu nobili & ingenio

Nuda adeò nullis ponebant corpora fucis,
Tanto erat in pretio candida ſimplicitas.
Multò alitèr celebres æuo fecere ſequenti
Cúm ſtudium creuit, creuit & artis honos.
Tantundem noſtris facimus perſæpè Camœnis,
Eſt quæ ſit nuda & quæ redimita caput.
Sæpè quoq; adduntur ueſtes, ſed ea arte, priores
Vt maneant charites candide Philocale.
Atqui opus eſt oculis & acuto iudice, poßint
Qui ſub amictu illo cérnere quæ latitant.

Ad Laurentium Vallam.

Illam coronam doctè Valla, ac lauream,
Qua candida te ætate donarunt uiri
Apolline approbante candidißimi,
Heu noſtra ſecla eripere contendunt tibi,
Peregrina quandò lingua in Vrbe Romuli,
Pulſa latina principem locum tenet,
Rolandus & plus, ipſe quàm Mauors poteſt
Lecta cohorte cùm Latini nominis,
Inepta noſtra & imperita ſecula.
At tanta tandem tunc peribit dignitas
Splendorq; maieſtasq; linguæ nobilis
Luſtrare Sol cúm lampade Orbem déſinet.

Ad Germaniam Muſarum Aſylum &
Ad Criſtophorum Carlebitium.

Quandò Attida comi hoſpitio à tam duro exilio
Muſam excepiſtis clari trinepotes Boreæ,
Memores Pandionidos nobilis Orithyiæ,

Vobis chorus Aonidum q̃ plurimam habet gratiam,
Quod, idẽ latiæ facitis, Romulus ab Olympo arduo
Vos aſpicit ore hilaro muneraq́ parat ſplendida.
Chriſtophore ſalutem ille tibi cumprimis dicit,
Splendorem & amat tuum utrobiq; militiæq; & domi:

Ad, I. B. Speculum.

Quandoquidem es ſpeculum ſpectatur ubi intima rerum,
Dic? ubi ſancta fides inuenienda mihi.
Quando hinc aufugit toto nec cernitur Orbe,
Dic? qua uiuendum ſit ratione mihi.

Ad Lenagoram.

Cúr exotica non mittam tibi ut ánte ſolebam,
Vina rogas, paucis accipe Lenagora,
Quandoquidem furis & gaudes uulgo eſſe timori,
Nolo in me anſam uertier à populo.

Ad Bariletum.

Barilete, te exigo domo perinuitus
Vt cúm cadauer exigit parens nati,
Ita me Deus amet detq́ cuncta quæ expopto.
Pietasq; amórq; retinet., efferunt mores
Iſti, ut cadauer rancidum eſſe te dicam.

Ad Piperonem.

Ecquis ít inficias artem nos eſſe ſecutos
Qualem donauit R ex ciceris modio?
Nemo. quin ſenio Muſas torpêre uidemus,
Natura rerum ſic uariante uices,
Sed piſo non donari madidóue lupino,
Quod Pipero tantum temporis eſt uitium?

In ſeculum

In ſeculum Illiberale
Ad Montanum.

Montane, te per ego deos deaſq́ oro
Artem doceto, liberaliùs qui dent
Bonis Camœnis diuites, ſoles nanq;
Iactare, tibi negatum ab hiſce nil tandem.
An Fors, an Ignorantia obſtat, ut nobis
Deſiderentur iſta? at aſſolet dici
Fortunæ ibi eſſe minùs ubi ingenij plus eſt.
Sed cùr ſupreme Iupiter meo è menſo
Tollunt potius? illiberale nos noſtrum
Nil eſt quod appellare probibeat ſeclum,
Sed hæc ferenda ſunt, ſed ubi ferit cauda
Et ôre letali ille contumax, ille
Beneficium immortale qui modò accepit,
Quod ferreum cor abſq; perferat bili?
Iſtos beatos deleo? an Strigis cantum
Præſtat reformidabilem recantare
Quem toruifrontis audiat domus Ditis?

Ad Claſsis Duces.

Mars, Victoria, Phœbus & Camœnæ
Hæc dant imperioſa dicta uobis
Claſsis Cæſariæ Duces, puſillum
Quos uilis ſtudium tenet lucelli.
De præda date mancupi gemellos
Seruos ex Aſia Africa'ue toſta,
Vnus ſit puer ôre liberali
Vaſto robore mauri Atlantis alter.

Non ibit dator irremuneratus.

Ad Paulum Flauium.

Septima quandoquidem fatales explicat horas
Mundi ſeneſcentis dies
Dicturi ambiguam cauſam nos Paule paremus
Apud ſupremum iudicem.
Romanum imperium, Medorum, bella Gigantum
Canis remota ſeculis
Quæ nos mortales plus mille fuiſſe putamus,
Natura, heri eſſe exiſtimat.

Ad Ambroſium.

Magna Aetna impoſita eſt humeris, prouincia magna
Suſcepta uobis Ambroſi eſt,
Nempe emendandi affecti uitia Orbis, & unà
In igne, uos puros, putos
Præbendi medio rutilum ſe præbet ut aurum,
Vt fama conſtans prædicat.
Fluctibus in medijs ne brachia fortia quicquam
Remittito, ſed perſonans
Vocibus aßiduis Pauli auribus inſtillato
Virtutis inclytæ decus
Loripedemq́ alto exigito de pectore morbum
Trans obrigentem Caucaſum,
Nanq; manu in ueſtra eſt in longum extendere nomen
Nigra nota uel candida.

De Poetarum miſera conditione Ad Lucam Gauricum.

Meſpila, ſorba, alia & Panos ſylueſtria dona
Miteſcunt ſpatio temporis exiguo.

Cur bis centenis præclari munera Phœbi
Vix matureſcunt carmina ſolſtitijs?
Tu qui obitus noſti ſignorum Gaurice & ortus
Dic quæſo in cauſa ſydera núm eſſe putas?

Ad Muſas.

An querimur Muſæ quòd uos egeatis, & ipſi
Virtuti quicquam deſit itemq́; mihi?
Non certe. at querimur mortales temporis huius
Nullo argumento ſat facere officijs.
„ Candida ſunt fateor, quæ munera dantur egenis;
„ Sed quæ uirtuti, candidiora puto.
Me miſerum, qui carminibus retinere putaui
Improba perſancto pectora in officio,
Falſum animi in ſicco ſtatuit me Fors periniqua.
Quid querimur? quis uel mi feret auxilium?
Dementes, qui ſæpè lupis commiſimus agnos.
Sed deus inueniet fulmine perfidiam.

In Expilatores.

Non iam lacus mea eſt domus, fœta ſcatetq́;
Siticuloſis prorſùs hirudinibus,
Spectaculum miſerrimum, fugimur alta
Præcordia, ac ſpes pulchra ſalutis obit.

In eoſdem Ad .I. Scopam.

Quandò larga domi ſplendet fortuna, nepotes
Sexcenti lacerant remq́; animamq́; mihi.
Si quid amice Scopa ſuccurrit conſilij atq;
Auxilij, quæſo fer properanter opem.

Ad Antonium Minturnum dè Hectore Pignatello.

Minturne, nollem ego ominari quæ mala
Ab Hectore Priami orta ſunt, eádem tuo.
Ab Hectore, patriæ exoriri mortuo.
Hac Trinacris formidine, miſerabili
Luctu Panbormus ſqualet & Neapolis,
Orbata Nato hæc, illa amato Præſide.

In Sugillatores.

Cúm mihi quid uitio temerè datur, illa Menandri
Continuò ſubeunt crimina & Euripidis,
Gaudemusq; pari noſtram liueſcere frontem
Nûbe, modò Phœbus ſplendeat ingenio.
Inuida rumparis media ilia, turba, legemur
Ne dubita, dum lux candida Solis erit.

Ad Galeotum Carafam.

Núm Sarno o ſuperi Silaroq; potentia tanta eſt,
Quantam aiunt Lethes fluminis eſſe in aquis?
Quæ promiſſa dedit Magnus meus & Galeotus
Prono heu detúlerunt flumine in Oceanum.

Ad. I. Bapt. Sabellum.

Tu cui Pontificis mens eſt percepta Sabelle
Seu quid fatidici prædocuêre patres,
Tu mihi ſcitanti reſponde oracula, núm qua
Promittit tandem ſpes meliora fore?
An deferueſcit dudum pulcherrima rumor
Saturniq; ſenis ſecula pollicitus?

Ad Venerem.

Quicquid ago, experior minitantis uulnera mortis,
Et cupio & metuo necſcio quid facio.

Pandere ſi tento uehementes pectoris æſtus,
Continuò exanimis linguáq; mensq; cadit,
Si taceo, rimis pectus plus mille fatiſcit.
Hei mihi quæ patior, da Cypri conſilium.

Ad eandem.

Ver nitet, & medium pulcher tenet æthéra Titan
Cantat & omnis auis, ridet & omnis humus.
Ipſe premor curis Liparæisq; ignibus alta
Pectora & æternis ſolicitudinibus.
Iam conclamatum iam ſpes acciſa ſalutis,
Ni morte extrema fers Venus auxilium.

De Terina.

Eſurio, non poma ſatis ſunt mitia pulchræ
Leucopetræ. ſitio, nulla Labulla ſatis.
Vna famem, úna ſitim, terit úna Terina dolores,
Triſtibus úna ferit gaudia pectoribus.

Ad Alfonſum Daualum.

Terdeno luſtro recinam quòd Dauale amores
Quis'nam erit in cauſa? Phœbus an ipſa Venus?

Ad I. Paulum Cæſarium.

Quiſq; ſibi ut mens eſt, ſimulacrum ita quiſq; poeta
Eſt ſibi diuinum maximè & archetypum.
Tu te tibi Xenophon fueris ſi Paule, ualere
Lyſippos omnis Protogenesq; ſine.

Ad Carlum Cæſarem.

Iandudum rumor truculentum nuntiat hoſtem
A te, Marte tuo, dextera & ôre peti.
Iſte, quid eſt, diſcit tandem, irritare crabrones
Et dominum indignis uocibus appetere.

Tu contra audeto, nil non ſuccedet, ab alta
Aſpirat captis lætior arce deus.
Qui nunc ſunt hoſtes, qui deſciuiſſe uidentur
Illos conſpicies te ac tua ſigna ſequi,
Suſpicio concepta olim omnis abibit in auras,
Certa erit integritas & tua ſancta fides.
Imperio id debes. o quot clariſſima regna
Reſtitues ſeptem collibus atq; Remo.
Te Solymi expectant Chriſti domus. omnia uatum
Carmina promittunt quæ tibi Karle cupis.
Tuq; propagabis fines, tibi Phaſis & Indus
Iras ſummittent frontis & arma trucis.
Hâc, uia ſydereo facile affectatur Olympo
Nulla ubi felices afficit inuidia.

Ad Scipionem Capycium.

Tuum Capyci conſilium animi è penu
Depromptum, in adytum condidi cordis ſtatim
Dicto audiens facturus ea quæ iuſſeris.
„ *Non fructus ullus tam ſuauiter ſapit*
„ *Quàm ſermo amici candidus, quem tu ſcias*
„ *Sentire recte, & eſſe noris Lælium.*

Ad Cyperin.

An res eſt Iouis hæc Cyperi? cùm te
Tam pulchram aſpicio, repente fio
Selibra auctior. an dea es Cyperi
Quæ rorem roſeo refundit ore?
Sic cucurbitula irrigata creſcit.

Ad Regulum.

Sic iſte habendi hydrops tibi afficit iecur?

Sic cûra ſtimulat eſt́q; cor, Cupidinis?
Non Regule iſtarum'ce rerum perſpicis
Pleroſq; fluere copia prolixiùs
Qui cùm beatis nullum habent commercium?

Ad Arſacen Parthorum Regem.

Te maior belli moles quàm ad Pergama quondam,
Et multo maior dux petit Arſacide.
Auſtriacum cernes Agamemnona & alterum Atridem
Sexcentos inter Neſtoras egregios,
Mille & Vlyſſes, mille Aiaces & Diomedes
Antilochosq́; acri & pectore Merionas.
Daualus, Heſperius uel Phthio maior, Achilles
Mæonijs ornàt uatibus hiſtoriam.
Redde ſua Auguſto magnisq́; Quiritibus, intrà
Teq́; tene Euphratem & fœdera pacis habe.

Ad Crotum.

Romàm ſolebam ætate adire florida,
Nunc abſtinemus, Crote ſi cauſam rogas,
Eſt, luſtra quoniam & Perſicos odi modos.

Ad Antonium Leidam.

Antoni, præter bellì atq; domi inclyta facta,
Te décorant, alijs turpia quæ eſſe ſolent,
Corpore enim toto es captus, ſed peßima quod Fors
Eripuit, Virtus optima reſtituit.
Sertorij decus ingentis Macetæq; Philippi
Tale fuit quod non deleat ulla dies.

In Voluptatem.

Mecum malè ageretur, Voluptas ſi bonum
Summum ſit. Irus plebe de infima molit

Potenter uxorem, Labulla purpuram
Verrit. Catillus mane, ueſperi tribus
Plus belluatur lippientibus lupis.

Ad Martyranum.

Cui Martyrane, paream equidem neſcio.
Fuêre qui legenda cenſerent ea
Tantùm Camœnæ quæ probarent nobiles.
Veruntamen quærenti in omnibus locis
Non dum mihi ulla inuenta Muſa eſt uſpiam.
Fuêre, porrò qui negarent proijci.
Debere docta dicta, nulla uatibus
Effuſa prorſus eſſe uerba perperam.
Vt qui autument, deosq; teſtes afferant.
Fuêre, rem qui examinarent ſedulo.
Atq; eleuatent quæ illi Olympo tollerent.
Græcis uidemus factum id in poematis,
Periêre ſalſa ac pleraq; omnia Attica.
Contingat o' ſi cenſor egregius mihi
Purgatus auris atq; pectus, Tantali
Liquore phialæ & latice Apollinis ſacro;
Qui pulchriora ex tanto aceruo deligat.
Fecêre aceruum Pallas, ætas, otium.

In coniugium.

K certe aut π peccárit qui nupſerit, at quæ,
κοινήν aut ποινήν quærere ſtultitia eſt.

De Acca.

Ceruſſam ôre iube & pedibus ſandalia tolli,
Atq, an procêra & bella ſit Acca ſcies.

Ad Martyranos

Ad Martyranos.

Si nomen uſurpauero ſanctiſſimi,
Quod mi dediſtis Martyrani, fecero
Praue, impudenter, impie, quando unius
Illud dei eſt qui Olympi habet palatia.

Ad Rauum.

Cúr non reſpondes? cúr carmina non facis bilis?
An tua Raue grauis guttura rauis habet?

Ad Antonium Garlonium.

Quòd mundi & rerum, rugoſa urgente ſenecta,
Imminet occaſus, ſit mihi certa fides,
Quicquid enim noſtra optabat mens diſcere pulchri
Illud perfacile noſcitur ad digitos.
Ad rerum uentum feces & nil datur ultra.
Mentior Antoni mox niſi finis adeſt.
Effoſſum eſt aurum matris de uiſcere, nullum
Pangæum, nullum ſit reperire Tagum.
Bupalus haud quiſquam eſt fugiat qui ob crimina, uitam,
Aut qui Mæcenas noſcat amare bonos.
Phœbe uale Pallaſq; uale Muſæq; ualete
Si nullo ſegnes eſtis honore dei.

Ad Cæſarem.

Quandoquidem Cæſar tua te Fors duxit in Afros
Quo tranſmiſſa ingens eſt tibi claſſe phalanx
Vince Agathoclea uirtute & Cæſaris arte
Aut iſtinc iubeas uelificare rates.

Ad Marcum Carectam In Epopa Aenobarbum.

Cui turpi in barba caper eſt & araneus ore,
Cui Galbi color & criſta Melancoryphi,
Qui ſeſe circunſpectat Iunonius ales,
Et rutilo eſt Gallus uertice terribilis,
Qui greſſu incedit ſuſpenſo anſerculus, unde
Marce genus ducit? neſcit opinor Epops.
Quis regem ferat hunc? ne murum turba quidem, cúm
Sunt paßi indignas inſidias Galeæ.

Ad Martyranum.

Diotam ueteris parare Bacchi
Cerellæ è gremio nitentis aureo.
Promiſit mihi pulchra Leucopetra.
Id ergò uenio, ſacraſq; cellas
Et antra omnia pande Martyrane.

Stratagema.

Quid ſi arte petimus punica pœnos? dolo
Docto Mineruæ non'ne trudemus dolum?
Euaſit Annibal igne ſaltus inuios,
Nos oppidum eodem Mulcibre expugnauimus
Incendiario ære munitißimum.

In Lycum.

Quæ mens tibi eſt Lyce? ulla ſi non mortuo,
Nec ôra uiuo ubiq, terrarum patet,
Idem omnibus contingat ut mortalibus?
Id Regulus ſerpentium teterrimus
Noctes dieſq; nutriens uirus, parat,
Prouiſa faſcinat ſtatimq; interficit.

Epitaph. Hieronymi Tutauillæ.

Vinceret ut Cæſar, Diti Tutauilla tyranno
Sanctam animam uouit littore Battiaco.
Dulcibus heu natis, uxori, patriæ, amicis
Proteſilaëo funere ſurripitur.

In Regulum.

Huc uſq; te petiui apertis cornibus
Vt quæq; ſe res obtulit prò tempore.
Sed æſtus alto ſi repreſſus pectore
Seſe recludet uirus & dirum uomet,
Letaliores congerentur tragulæ.

De Aufidio poeta.

Dulces ſi repetat Lyæus uuas
Quid ſit pampineus Veſeuus? orbus.
Lymphas ſi Oceanus ſibi repoſcat,
Quid Sebethus amabilis ſit? orbus.
Solum ſi Aufidius poeta uertat,
Quid ſit Parthenope? quid Hebus? orbus.

Ad Martyranum.

Me Martyrane dicis ôre Socratem
Referre, mallem, corde. ſed ſi ita eſt tamen,
Ea Marliano adempta cura eſt dædalo
Mei indicandi marmore abnepotibus,
Non pauca ſigna nam uidere eſt Socratis.

Ad Cæſarem.

Ne ſine uictricem Cæſar lentéſcere famam
Et rerum terris & pôtere Oceano,

Ad Marcum Carectam In Epopa Aenobarbum.

Cui turpi in barba caper eſt & araneus ore,
Cui Galbi color & criſta Melancoryphi,
Qui ſeſe circunſpectat Iunonius ales,
Et rutilo eſt Gallus uertice terribilis,
Qui greſſu incedit ſuſpenſo anſerculus ; unde
Marce genus ducit ? neſcit opinor Epops.
Quis regem ferat hunc ? ne murum turba quidem, cùm
Sunt paßi indignas inſidias Galeæ.

Ad Martyranum.

Diotam ueteris parare Bacchi
Cerellæ è gremio nitentis aureo.
Promiſit mihi pulchra Leucopetra.
Id ergò uenio, ſacraſq; cellas
Et antra omnia pande Martyrane.

Stratagema.

Quid ſi arte petimus punica pœnos ? dolo
Docto Mineruæ non'ne trudemus dolum?
Euaſit Annibal igne ſaltus inuios,
Nos oppidum eodem Mulcibre expugnauimus
Incendiario ære munitißimum.

In Lycum.

Quæ mens tibi eſt Lyce ? ulla ſi non mortuo,
Nec ôra uiuo ubiq, terrarum patet,
Idem omnibus contingat ut mortalibus?
Id Regulus ſerpentium teterrimus
Noctes dieſq; nutriens uirus, parat,
Prouiſa faſcinat ſtatimq; interficit.

Epitaph. Hieronymi Tutauillæ.

Vinceret ut Cæſar, Diti Tutauilla tyranno
Sanctam animam uouit littore Battiaco.
Dulcibus heu natis, uxori, patriæ, amicis
Proteſilaëo funere ſurripitur.

In Regulum.

Huc uſq; te pettui apertis cornibus
Vt quæq; ſe res obtulit pro tempore.
Sed æſtus alto ſi repreſſus pectore
Seſe recludet uirus & dirum uomet,
Letaliores congerentur tragulæ.

De Aufidio poeta.

Dulces ſi repetat Lyæus uuas
Quid ſit pampineus Veſeuus? orbus.
Lymphas ſi Oceanus ſibi repoſcat,
Quid Sebethus amabilis ſit? orbus.
Solum ſi Aufidius poeta uertat,
Quid ſit Parthenope? quid Hebus? orbus.

Ad Martyranum.

Me Martyrane dicis ôre Socratem
Referre, mallem, corde. ſed ſi ita eſt tamen,
Ea Marliano adempta cura eſt dædalo
Mei indicandi marmore abnepotibus,
Non pauca ſigna nam uidere eſt Socratis.

Ad Cæſarem.

Ne ſine uictricem Cæſar lenteſcere famam
Et rerum terris & potere Oceano,

Tam citò non flos Alcmenæ luſtrauerit Orbem
Se iactet quanuis progeniem eſſe Iouis.
Et tu de Cœlo ducis genus Vranieq́;
Stiparis lecta ſemideumq́; manu.

Ad Litauicum Toletam.

Artibus ingenuis gaudet pulcherrima Pallas
Quas duce Mercurio mente animoq́ colis,
Idq́ Toleta choro Aonidum te pulcher Apollo
Dignatur cumulans munera muneribus.
At quia Phœnica obſeruas generoſus Achilles.
Nil tibi promittit non Charis Euphroſyne.

Ad Cæſarem.

Declaras tandem dextra & fulgentibus armis
Cæſar, PLVS VLTRA, quid ſibi uerba uelit.
Nulla refers retro ueſtigia, quà mare terras
Ambit, quà celſis montibus umbra cadit.
Deuictis terris centum præclara triumphis
En monſtrat Cœlo Gloria quà ſit iter.

Ad Albium.

Nil eſt quod malè ſuſpiceris Albi
Enixa antè diem tua eſt ſi Abolla,
Nam florem tetigit pudica in hortis
Et plena eſt Zephyri repente flatu.
Mars naſcetur opinor, alter Albi.

Ad Carlum Cæſarem.

Anc pompam tibi Cæſar apparaui,
b *Hæc albi lapidis trophæa, quis non*
Vlla iniuria temporis nocebit,
Viuent perpetua atq; clara donec
Crinis ſol capite explicabit aureos.

Ad Carlum Cæſarem.

Antiqua certè eſt atq; adeò fides
Cantata ſiccis uatibus, incolas
Perſæpè Olympi perbeati
Frugiferas coluiſſe terras.
Tybris pèr arua herboſa Aboriginum,
Pulchræq́ nymphæ Náiades deum
Vidêre Saturnum remenſis
Fortè uijs tepido è Canópo.
Excepit errantem hoſpitio bifrons
Ianus benigno, muneris immemor
Non ille, longo ſepticollem
Imperio ſtabiluit Vrbem.
Magneſſa uidit lympha & Apollinem
Regis pelaſgi conſpicuum gregem,
(Quid non poteſt ſæuus Cupido?)
Páſcere in Emathijs ſalictis.
Iordanis aureo littore cúm uagum
Vatem uidebat cornua comprimens
Eſt ſæpè plantas oſculatus
Præcipiens animo futura.

Vidêre natum è uirgine regia
Faciente Cœlo & ſyderibus fidem,
Mundi arbitrum perquam ſtupentes
Et Solymi & Nabathea mater.
Ventura tandem candida ſecula
Illis, & ultor Tartarei Iouis,
Hirtis prophetis nuntiantur,
His, uitio ſine mater ullo.
Non Cæſar hac te claſſe recenſeo?
Munus ſi obiſti militis & ducis
Aduerſus hoſtes peruicaces
Palladis auſpicio & Gradiui.
Teſtis Vienna & Iſter & Arſaces
Et teſtis Afer & uolitans Arabs
Atq; ipſe teſtis uaſtus Orbis
Terra adeò Oceanoq; magno.

De Iano Triuultio.

Regibus ut quondam demiſſus uertice Olympi
Abſtulit Eöis munera trina puer
Sic Charita unà omnem iuſſu Iouis æthere miſſam
Flos iuuenum Ianus tergemino ôre refert.
Quid mirum? ſi animos laqueis deuincit Amoris,
Si abſcedit nunquam dulcis ab ôre Charis.

Ad .I. Ant. Acriſianum.

Vt quondam Delphos ſcitatum oracula Phœbi
Gentibus ibatur rebus in ambiguis
Sic cauſa ancipiti ſæua luctante procella
Ad lauros itur Acriſiane tuas.

Ad Cæſarem.

Cæſar, ea lêge Orbem luſtra, qua ſacer Orpheus
Quæſitum, manes iuerat Eurydicen,
Et non te Semeles ſoboles ſit maior & Aethræ,
Non incerti parens Amphitryoniades.
Aduerſùm ſta animo Fors & petat omnibus armis,
Virtutis tandem tunditur hæc clypeo.
Deeſt aurum, regna & magnos diuendito amicos,
Mox erit undè manus larga rependat opes.
Aggredere audacter Chriſto duce & auſpice Chriſto
Omnia & optata confice lætitia.

Ad Primates & diuites.

Taxi expedite Principes uiri ſuccum
Et dignitate quiſquis & opibus pollet
Si tot uidetis haud ſuo cádere fato
Quorum cor omnia Mulciber uorans ôre
Tam multilingui dereclinquit illæſum.

Ad Fr. Franchinum.

Dic Franchine πολυτροπε *quem formoſus Apollo*
Dignatur lauro pieridumq́; choro,
Quo' ſtudio iactabit ἀρης *hinc ſe, quibús armis?*
Si domat hunc mollis θυμολεοντα *Venus?*

Ad Cæſarem Triuultium.

Miſti tu mihi poma ſucculenta,
Ipſe fœniculum tibi remiſi.
Vatum, fœniculum dare eſt Triuulti.

Ad Merinen Sanſeueriniam.

Quæ' mora tam longo te abducit tempore nobis
Dic age Nympharum gloria Lauriadum?

Iampridem Ercei te expectant limina uatis,
Te rigui fontes Näiadesq́; deæ.
Ne nos fraudato iubare illo & fronte Merine,
Interea nox eſt quæ fuit ánte, dies.
Daualus at retinet redyt qui uictor ab Afris,
Diuarum retinet dulcis at iſta cohors.
Felix Aenaria. obſequium aſt ubi ſólueris illis,
Te nobis tandem te Dea reſtitue.

Ad Pyrrhum Elyſium Phernęſium.

Sphinx Elyſi obiectauit anceps Oedipo.
Planus uidetur Orbis ambulantibus,
At recta proſpectantibus plane` planus.

Tumulus Hier. Tutauillæ.

Quem modò Getúli metuebat regia Hiarbæ
Te tenet infelix hic Tutauilla lapis.

Ad Chryſoſtomum.

Cúm te non noſſem Χρυσοστομε *uerba loquebar,*
Quæ modonon ſaperent Χρυσεα πυθαγορου,
Aſt ubi` te noui, næ ego dixi. γλαῦκα ἐσ ἀθηνάσ.
Condona errori Χρυσοολαιτορε *meo.*

In` Principes. Ad Marium Biſcantium.

Biſcanti amice, èx Africæ uictoria
Quam Muſa noſtra carmine in` Cœlum tulit
Quid eſt relatum gratiæ? parum dea
Pudens popoſcit, nempe` quæ putet nimis`
Illiberale & hiſtrionis poſcere.
» *Dant ſponte` & ultrò Principes boni, bonis.*

Saltèm

Saltèm ſapore quo Laliſio ſapit
Pèr ſcire uos liceret iſtinc Principes.

Ad Horatium Anyſium.

Siſyphus aduerſo fertur monte Orcum ápud imum
Molem nixando trúdere terribilem.
Sic te uno facere in Cicerone iubemus Horati.
Aeterno caput à calce labore pete.

In Aulum Regulum.

Aurum ſurripias modò Aule, nulla
Tibi eſt relligio fideſq; nulla.
Albanos pete, mortuorum & Aule
Effoßis loculis repletor auro.

In Oſmum.

Bis ſtultè facis Oſme ſic amando
Cui tu ſis odio: es moleſtus illi
Et ſumis tu operam ac laborem inanem.
,, Qui amat plus nimio, impotenter odit.

In luxum Vacerræ.

Luxu fluit Vacerra, menſa nec Phaſi
Quicquam inuidet, ſæpè hanc & Attagen uiſit.
Si delicata fercula hæc edis firmus
Vacerra dic amábo edes quid infirmus?

Ad Pyrrhum Vincentium Palatinum.

Libertatis amor quæ omni pretioſior auro eſt
Sæpè me inurbanum ruſticulumq; facit.
Vt dij Cappadocas perdant qui regia pulchræ
Præ libertati Pyrrhe tulêre iuga.

Ad Iöſippum.

Pars non quota infelicitatis eſt, mihi
Ioſippe crede, Fortis experirier
Siniſtra nulla tela. Cœlo nubilo
Illuſtris expectabitur ſerenitas.
„ *Viciſſitudo rebus eſt prò nectare.*

Ad Scip. de Summa.

Dè látere Aeneæ cúr non diſcedit Achates?
Regem aiunt, quoniam plurima cura premit.
Accipe tu ueram rationem Scipio amice.
Eſt quoniam Virtus neſcit abire loco.
Hanc ſequitur Fortûna comes, diſcedit & hilum
À duce non unquam militiæ atq; domì.
Clamores iſtos accuſantum atq; querentum
„ *Deſpice, fortunam nam ſibi quiſq; parit.*

Ad Aequanimitatem.

Quid ſperas aut deſperas mortalis? utrunq;
Si mera ſtultitia & cura ſuperuacua eſt?
Nil hic ſperandum quandò ſunt omnia uana.
Dèſperare extrà nos poſita, eſt leuitas.

Ad Nic. P. Granuelle.

Hoc uitæ Oceano tot ſe attollentibus undis
Quid maius poteras ac graue uelle magis,
Fortuna ꝙ̃ poſthabita has incumbere ad artes
Toto uirtutis pectore ſydereæ?
Perge igitur. Famæ commenda nomen, & unà
Cùm magno æternum Cæſare quære decus.

De Daualonneſo.

Prælio magno, Anguipedum duello
Victa Telluris ſoboles proterua,
Strâge fœdauit gremium parentis
Sulfura olenti.
Iupiter cauſa ſtimulante & ira
Arripit niſu medium Tiphöëa
Sternit & quantus fuit, inuadoſo
Aequore pronum,
Et ſuper, monte Aenariam reuulſam
Proximo, imponit humeris, manuſq;
Alligat centum ſcopulis & imo
Gurgite mergit.
Palladi mandat ſapientia atq;
Inclytæ belli ſtudijs & armis.
Longiùs diro à duce ne Gygantum
Nata recede.
Cura ab antiquis manet illa ſeclis.
Pallas, excelſa chorus & dearum,
Fratris & uictrix acies Gradiui,
Præſidet arce.
Daualonneſus domus eſt deorum
Inuidet quæ non radianti Olympo.
Fer lyram Phœbe & cane facta regum
Inclyta mecum.

Ad Sabbatium.

Tragœdiam latinam habemus aut nullam
Aut dignitate quæ recedat à priſca,

Præpingue Corduba, Sybaris ſonat durum.
Auerſa Muſis noſtra ſi eſt, iube recta
In ſpongiæ illam Sabbati ire ſentinam.

De Auguſtino Presbytero medico.

Se iactent alij ſucco medicarier ægris.
Languores hilaro Presbyter ôre fugat.

In Rufum.

Deliberaſti Rufe quicquid egeris,
Venale tandem, argenteum, aureum fore?
Pacis ſequeſter filium intèr & patrem,
Concordiæ, hoſtes inter, interpres dei
Legum, uiæ monſtrator, ereptor luto
Affinis alto, poſcis aurum commodum.
Non das aquam ſitienti & äëra pernegas.
Ni detur aurum detur atq; largiùs.
Ne das reſegmina unguium gratis quidem.
Es deniq; omnium artifex nummarius
Rerum bonarum ſponte quas dant non mali.
Ergo tibi Natura quid debet? nihil.

Ad Nolam.

Nola mihi ante alias olim dilecta puella
Cúm ſuccendebat pectora pulchra Venus.
Siccine me miſerum potuiſti fállere amantem
Promiſſis, omni & deniq; perfidia?
At quém, prô ſolij excelſi moderator, amantem?
Quem Laurus tanti & pulchra Merina facit.
Quem Sarnus tanti, quem Palma ac Tolphius heros,
Quemq; ſinu molli Parthenopea fouet.

Quo toties data dextra atq; abiurata receßit
Sancta fides & petijt littora Marmaridûm.
Credula res amor eſt, facilè falluntur amantes,
,, *At deceptores gloria nulla manet,*
Sed nota perſtringit uiuos, mox deinde ſepultos
Omnibus exemplis Tartara ad ima premit.
Te Capua inferior fuerat non diuite gleba
Non armis, clara & nobilitate uiris
Inſignis Capua heróum genus Ilio ab alto.
Te ſoror incautam permonitamq; uelit.
Illam perfidia atq; ſuperbia ſuſtulit, ut non
Dignoſcas illis ueſtibus & lachrymis.
Et te magnus Abas genuit iußitq; colonos
Perſtratasq; ſequi per liquidasq; uias.
Ah nollem digito tu monſtrarêris eodem,
Si huc fortuna tibi mollior uſq; fuit.
Hoc dominæ nomen quo adeò te tollis, inane eſt,
,, *Virtus nam domina eſt ūna potensq; deus.*
Nympha uide ne ſublimi dum nomine gaudes
In foueæ præceps nobilis ima cadas.
De duce Romano ac Pœno iam fabula nota eſt.
Sed non permittit dicere plura dolor.
Hoc ego uaticinor ſi non mutaueris iſtos
Mores, Fortunæ te fore ludibrium,
,, *Et quo ſera magis ueniunt exempla, uidere eſt*
,, *Illa, ſub erumnas ire dolenda magis.*

Dialogus in tempora noſtra.

Nempe auferre putas latendo Anyſi

Quicquam præmij ab hiſce quos canendo
Pergis tóllere ad aſtra? nempè aberras.
Eſt opus petulantia arroganti
Omne abſtérgere deq́; fronte pulchrum.
At ipſe haud paraſiticam impudentem
Vnquam perdidici. ſibi ergo habebunt
Pèr me præmia turpiter paranda.
Si dant, accipio, ipſe nil procabor.
At quæ nos dedimus ſciunt Camœnæ.

Ad Hieronymum.

Nomen apud me commutas Hieronyme *lætum*
Esq́; ἀχερώνυμοσ *& quotidiè improbior.*

Ad Cæſarem.

Dè te conceptam ſupera ſpem maxime Cæſar,
Te uelùt Alciden monſtra domanda manent.
Te effuſæ excipiunt urbes, tibi ſpargere odóros
Floresq́; & ramos ſtérnere quiſq; cupit.
A' te Parthenope natalem orditur & annum.
Te uocat ut numen, te patriæq́; patrem.

Ad eundem.

De Cœlo mihi ſeruanti fulgêre coruſcis
Ignibus eſt omnis Regia uiſa Iouis.
Propulſator adeſt atq; omnia Mulcibris arma
Aduocat, eſt Cæſar quod uereare, nihil,
Tela petunt hoſtes, nituit tibi fronte ſerena
Iupiter optatæ ad litora Parthenopes.

Conuiuium.

Narciſſi, Iouijq́; Porcijꝗ
Gniphiq́; Elyſijq́; Iſchyriꝗ
Sermones uarios, iocos diſertos,
Odores Epicurij uireti
Lepóres Academiæ & Lycij
Et quantùm eſt ſalis atticis ſalinis
Intèr pocula crebriora Bacchi
Interꝗ ambroſiam deumq́; nectar
Tu Liber pater atq; uos ſorores
Alternis numeris referte diui.

Ad Michaelem Maijum.

Quid de illo dicas Maij clariſſime, riuos
Qui exiguos uaſto miſſitat Oceano?
Quid, niſi dè inſano quantum uerbis pote dici?
Plus & eo impenſa ſi grauiore facit.
Id, tibi nil mitto. accedit rationibus iſtis
Quod dare quàm accipere eſt pulchrius Oceano.

Ad Lucretium Aeſiandrum.

Quæ ſcribunt Muſæ leui ſunt cortice, at intus
Nucleus eſt omni dulcior ambroſia,
Hunc docti quærunt, cumprimis tuq́; Lucreti.
Aſt alys cortex eſt ſpecioſa ſatiś.
Quid? ſi argumento quis agat, uirtute, figura
Quàm blanda propiùs diſcet is ire deo.

Dè Rege.

Rex adeò magna eſt res & nomen quoq; magnum,
Cætera turba huius ſuſpicit Imperium,

Centenis oculis ideo finxêre poetæ
Procérum, immanem centimanumq́ Gygem.
Qui ſi mortales uexauerit, ecce Tyrannus
Pérfurit ac ſuperis impia bella mouet.

Ad. I. *Beltranum.*

Eſt ſi tantundem cánere atq; oppédere, quæſo
Dic Beltrane, aliam ſcis'ne docere uiam?

Ad *Fabritium Ieſualdum.*

Quandò ſalutatorum ea tibi copia
Aut murium impudentium potius, cibum
Qui alienum edunt, te uiſere abſtinui, at ſcio
Abſens amicis eſſe præſtò Fabriti.
Tu claſſe me cenſeto ea ſodalium
Laudare in' os qui delicatè neſciunt,
Pſychen Cupido tali amore diligit.

Ad Maium dè Cæſare.

Hoſtes deuicit Cæſar fulgentibus armis
Inuictaq́ manu & pectore magnanimo.
Idem perpetuo nexu deuinxit amicos,
Nexu, quem uirtus cómplicat, arctat amor.
Vtra tibi Maij uictoria pulchrior? utra
Manſura æternùm gloria nobilior?
Quid, ſi æui emendet mores? felicia ſecla
Saturni dicas aut rediſſe Iouis.

Ad Cæſarem & Proceres.

Omnis uirtutum numeros abſóluere Cæſar
Pergis & inſtituis teq; tuumq; gregem,

Quas inter

Quáis inter, rutilum præclara Modeſtia Solem
Splendore exuperat purpureúmq; diem.
Diſcite uirtutem Proceres de Cæſare, uosq;
Cenſete ex animi dotibus eſſe uiros,
Nam quid inanis habet, populos niſi perdere, pompa?
Vertens iura NIMIS *linquite, amate* SATIS.

Ad Venerem.

Vulnera quid refricas penitùs quæ bæſere medullis?
Non dum obducta, Venus uulnera quid refricas?
Parce Venus, tua ſum miles ſi caſtra ſecutus
Pingebat nitidas cúm roſa uerna genas.
Nunc quandò aduerſùm explicuit nos ſigna ſenectus
Ac toto oppugnat robore, parce Venus.

Ad Marinum Ianuarium.

Doctus diſplicet arrogansq; ſeruus.
Durum, difficilem execror Tyrannum.
Fœtent in piceo ôre blanda uerba.
Sordet in meretrice frons Dianæ.
Matrona eſt odioſa inambulatrix,
Sed multò Simulatio Marine
Vbiq; eſt odioſior locorum.
Tu uiue, ingenio uſq; liberali.

Ad Martyranum.

Cœnas quòd fugiam apparatiores,
Prolixas, Veneris quæ utrunq; cernant
Sydus quod ſequitur præitq; Solem
Mirabâris amice Martyrane,
Et ſcis me numero eſſe non Deorum

Quibus non facilè citatur aluus.
Ergo iſtas celebrent dij deæq;
Cœnas, Aethiopes apud beatos
Tethynq; Oceanumq; liberalem.
Si adeſſent homines guloſiores
Deos afficerent olenticetis.

Ad Falcum.

Qui poſtulat quod iure debetur ſibi
Nec redditur, iuſtiſſimè ille iraſcitur.
At nuſpiàm quod eſt, rogare ineptia eſt
Et dupla meherclè propter id ſi iraſcitur.
Sarraſte ſi de uite Falce quis legat
Lentem Cancpi, maximo miraculo
Non ſit? profectò. itemq; quod careat fide.

Dè Sepultura, Ad Ianum Saluiatum Cardinalem.

Nam quæ ſepulchri tanta cura mortales
Quod tempus & natura comparent tandem?
Se condit ipſam terra mater, & fato
Victus fauilla ſub ſua ignis obdormit.
Non Saluiatus rectius? ſibi famam
Qui prò ſepulchro comparauit æternam?

Ad Cæſarem.

Aduigila ut facis atq; operam da Cæſar, ut ætas
Te exemplum recti ſera fuiſſe ferat,
Dicat ibi imperium eſſe ubi tu ſis, uita ſalusq;
Humani generis deliciæq; & amor.

Ad Franciſcum Couium.

Vincere uti pulchrum ſic uinci turpe, quod ipſa
Natura auerſo reſpuit ingenio,

Nil obluctatur non arma mouente Gradiuo
Dædala terra, Aether nobilis, Ignis, Aqua.
Non'ne uides taurum dulcis concedere amores
Victori, uictus quæ loca ſola petit?
Succumbit perdix, uictori Hyperionis ales
Fracta laude ſuum donat habere gregem.
Prò ſe quæq; animans prò re quoq; pugnat amata
Atq; adeò intèr ſe tippula, muſca, culex.
Quod longè excellit, uitat natura cauetq́;,
Vitæ ad tutelam tentat & arma tamen.
Delphinos metuunt crocodili, hos docta canum uis,
Aequoreos catulos agmina pelamidum,
Coruum parra, aquilam cycnus, hieraca palumbes,
Dama leas, pardos hinnulus, agna lupos.
Aſt ubi deuentum dubia ad certamina, mors &
Apparet uibrans ſpicula nigra manu
Nil adeò imbelle eſt quod non ſeſe omnibus armis
Defendat rigidi Ditis ad uſq; fores.
Dant uires præſens animusq́ & corpus, utrunq;
Vi ingenita, eſt & uis tertia præterea.
Mulciber odit aquam, diſpellit corpus inane,
Eſt cóntra rebus blanda ſuborta Venus
Imperio occulto Venus orta & Gratia quæ, res
Ad ſeſe philtris omnibus alliciant.
Non'ne uides ut lenta uirens caput erigit arbos?
Fert uictrix ſurſum pondera palma, Coui.
Nil æquè excelſos decet ac uictoria Reges
Candida quam décorent nomina Iuſtitiæ.

Ad Alex. Medicen.

Quandoquidem Cæſar cui rerum ſumma poteſtas
Eſt adeò à magnis tradita Cœlicolis
Te ſibi delégit generum thalamoq; locáuit
Dilectæ natæ, Cypridos auſpicijs.
Nulla tui deinceps te cura remordeat, ipſe
Sat curat Cæſar te Veneremq; tuam.
Quid niſi Alexander nitidæ tibi cura iuuentæ
Exercendi artes Cæſaris auſpicijs?
O felix fax quæ ueſtro illuxit hymenæo,
Non par nobilius ſecula noſtra uident.
Vos linquunt Charites nunquàm, uos nulla uidendi
Fit ſatiâs dijs & copia nulla ſat eſt,
Hinc nectar largè hauriri, iſto èx fonte Voluptas
Irrigat ambroſijs pectora fluminibus.

Ad Lyſium Pratorum dominum.

Quæ tandem quæſo Lyſi ſit pulchra Camœnis
Merces ſi haud magni carmina Cæſar habet?
Et referenda tamen maiori eſt gratia Muſis
Menſura à claris nobilitate uiris.
Non ſecùs atq; agri largo dant fœnore Reges
Ni cupiunt aliud nomen habere ſibi.
Quæ ſi Mercurij ſit culpa, hunc Iupiter alto
Aequus aget Cœli uertice præcipitem.
Non aditus patet egregijs at uatibus aulas
Ad Regum, at ſaltem ſit uia carminibus.
Non aurum pulchræ poſcunt prò carmine Muſæ
Sed pulchrùm poſcunt pectoris officium.

Ad Cæſarem.

Romano infeſtæ imperio præclara Corinthus,
Carthago, Capua, Sparta ſuperbà iacent,
Stat Roma. at tu arcem Terei ſeruire Tyranno
Dic quæſo Cæſar quàm patiêre diu?

Ad Raphaelem Vitalem.

Viuida Vitalis uis ira eſt, non'ne uides ut
Viuam ſuperbus fumus excitat flammam?
Si fomes fuerit demortuus, ilicèt ignis
Sibi ſepulchrum ſùb ſuo cinere quærit.

Ad Cæſarem.

Scit paſtor quid tondêre aut deglúbere oportet
Tu es Cæſar nobis paſtor itemq́ Deus.
Centenis oculis præfectos aſpice porrò
Quid lanæ carpant forcipe quid'ue manu.

Ad Fabr. Ieſualdum.

Si omnes quos ego carminibus ſtellatum in Olympum
Heroas magnos non ſine laude tuli
Hac mihi menſura Fabriti καλὰ λίτρα dediſſent
Vel Pelopen poſſem uincere diuitijs.

De foro. D. Laurentij.

Candentes ſenſit prunas Laurentius olim
Ignibus excoctam reſtituitq; animam.
Illius in templo excoquitur labor & grauis æſtus
Et cûra ardentis pallida Parthenopes.

Epitaphium Fran. Sfortiæ.

Sfortiadûm extremus fatis iactatus iniquis
Franciſcus uitæ uincula diſſoluit

Hoc certè felix, Cæſar ſucceſſor & hæres
Quod tumulum erexit, ſoluit & inferias.

De Florentia.

Quòd luſcioſos tot ferat Florentia
Monſtrum eſt, uidendi tota in illis artibus.

Ad Hieronymum Aquiuiuium.

Te uel ſequetur Paulus àd ſcythas ſæuos
Diſcedit undè longiùs pater Phœbus,
Teq; Aethiopas àd impios ubi audit Sol
Malè, æſtuante ſydere ôre flammato,
Nam non Achillem deſerit ſuum Phœnix.
Hieronyme capit oris iſta maieſtas
Ac ſplendor animi qualis aureis eſt dijs,
Mortalium arctè pectora atq; deuincit.

Dè Cæſare.

Tot poſt errores Aeneas rex & Vlyſſes
Fecerunt toruis manibus inferias
Finis ita erūmnis inuentus. tum bona lætum
Fortūna erexit ſydereumq; caput.
Funera póſt, Cæſar ſpes eſt Iouis aurea fata
Commutaturum triſtia lætitijs.

Dè Amicorum ſtudijs.

Si ſtudio atq; opera pulchrè inſeruitur amico,
Ferreus eſt qui non tollit ad aſtra fidem.
Sin' uerbis, uana & præceps ſpe fertur amicus,
Plumbeus eſt qui non perfidiam enſe petit.
Non parua Euſtochio cura eſto, utra uelit eſſe
In claſſe, oſtendi qua digiti'ue nota.

De Cæſare.

Veſtigal chartæ Cæſar ſpe maximus auxit
Hic Regnum, ille ingens expetit imperium.
„ At qui plus æquo petit, accipit hic minus æquo.
Tum ſpes fruſtrata eſt deniq; nequitiam.

De Fortuna Anyſiorum.

Si præneſtinæ Fortúnæ ardentibus aris
Feciſſem noctes perpetuosq; dies
Non potuit nobis præclarius aut dare maius
Diua potens rerumq; arbitra terribilis.
Cæſar Anyſiadas in amicis ſcripſit, amicis
Omnibus inuicti Cæſaris auſpicibus.
Sic homines ſúpra fortunet Iupiter illos
Et det Fortunæ uincere nequitiam.

Gallus in ſcopulum &
Amalphis in rupem.

Se quondam dulci dederat formoſa ſopori
Irrigui fontis proptèr Amalphis aquas
Ridebant circum florentia prata, ſuſurro
Quæ reſpondebant carmina, fontis aues.
Hoc ego ſpectaclo, pharetra tardatus Amoris
Non permutaſſem gaudia Cœlicolûm.
Ecce ſopor tandem radiantis liquit ocellos,
Heu quo me aſpexit Nympha ſupercilio.
Obrigui infelix èx illo tempore Gallus
Imploraturus cernis ut hoſpes, opem.
At quando eſt ſuperis odioſa ſuperbia diuis
In rupem uerſa eſt proptèr Amalphis aquas.

Ad Alfonſum Iäcchum.

Monſtra expugnauit proles Semelëia Bacchus
Titanas poſt quam Iupiter edomuit.
Si me tu clypeo protexeris optime Iäcche
Nil eſt Titanum ſpicula quod timeam.

Ad Ferandum Toletam Ducem Albæ.

Pocula ſi tollas genitis Achelöia rebus
Non uita ſtet mortalium.
Si tollas aurum, manca & ſinè uiribus erret,
Quo nempè nil non penditur
Fortunæ quandò imperia auro ſtant & honores
Et ſacra pulchra Cœlitum
Verùm ſi contemplati rem ritè loquemur,
Hæc, Fama uincit omnia.
Terras percurrit Fāma & ſolia aurea diuûm
Scandit ſuperba, nobilis,
Ingens, qua duce uaſtorum bella aſpra Gigantum
Cùm laude celebrantur Iouis.
Tu leui èx amite inſignem deſume canoris
Toleta filis barbiton
Atq; tuas laudes canito atq; ingentia facta
Patrum, uel uſq; ab Hercule
Ex quo Pyrene genuit uos matre ſub altis
Hieronis Heros uallibus.
Alcæo melior ſublimi carmine, Cycni
Dè môre concélebra nemus
Muſarum, Pindus pulchrum caput ut ſummittat
Sertoq; te donent Deæ.

Antè uehet

Antè uehet Pelopen uos Fama ac Theſea magnum
Pareſq; Cælitibus feret.

Ad Antonium Oriam.

Hæ curæ quæ animum afficiunt, caua tempora canis
Spargunt & ſtringunt pectora triſtitie
Vt ſæpè anteferas Leti tela aſpera, uitæ,
Si uita eſſe poteſt triſti in amaritie,
Corporis hæ curæ infirmi & ſunt Fortis iniquæ
Quas parui ſapiens fecerit aut nihili.
Ergo Oria haud linquas Muſarum templa, beatis
Vndè æterna petas gaudia pectoribus.

Ad Decium Mendoſſam.

Cùm Decium tenui meditarer arundine, montis
Vellérunt aurem numina lauricomi,
Neſcis fors aiunt, cui carmina condis Anyſi,
Neſcis Aonys eſt quotus ille choris.
Excutitur dextra calamus, madidiq; lupini
Sobria confeſtim ad prandia me refero.

Ad Cantelmum.

Vis forma Phœbum & nitidum laudare Lyæum?
His appinge deum tu quoq; Loripedem.
Næ tu plus æquo es ſapiens Cantelme, bicornem
Qui Satyrum comitem feceris aſſiduum.

Ad Cæſarem & Franciſcum.

Quanuis Bellona & Mauors mihi dixerit, armis
Cernendum uobis, non ego crediderim,
Exemplis forſan priſcis? non. ſed quia nulla
Eſt ratio, Chriſti tum quia norma uetat.

H

Es magnus Cæſar, Franciſce es tu quoq; magnus,
Vos belli in Parthos fulmina Chriſtus habet.
Non temere armatis concurritur ôre moloßis
Sed uiſo, aduerſùm tenditur hoſte lupo.

De Fabritio Maramaudo.

Si Maramaudum aſpicias toruo ôre leonem
Credas ac damnes torua ſupercilia.
Si inſpicias animum, cupiens & pectus honeſti,
Dixeris hunc digno nomine ſemideum.
Hic Martem agnoſcas omnem belliq; furorem,
Illic Mercurium conſpicuumq; Iouem.

Ad Clio.

Quis ſtrepitus celſo armorum exauditur Olympo?
Dic Muſa bellorum potens
Dic Clio magni ſoboles Iouis, omnia quando
Arcâna tu noſti Deûm.
Hæc Dea ſubtriſtis longo poſt tempore, curas
Premens ſub alto pectore.
Pallas perpetuis ſtimulis confoſſa Gradiui
Quæ Martis ira eſt contumax,
Se clypeo ſemper protexerat inclyta uirgo,
Inſtabat ille dextera
Enſe armata fulmineo animamq; petebat.
Sed ira iuſta non diù
Nec flamma in ſtipulis ſe continet, impete magno
Aduerſa quin perdat furens,
Sedato niſu ſpem certam fronte ſerenans
Corripuit haſtam nobilis

Diua Iouis capite orta, librato & pondere torquet
In corpus aſſurgens ferox.
Vidiſſes Martem ueſtigia uóluere pronum
Pedesq; uértere in caput.
At quæ ſtultitia infirmos bella aſpra mouêre
In, uiribus magnis Deos?
„ Obdurant illi, at tandem patientia cæco
„ Commota àb æſtro fit furor.
Non adeo multùm Franciſco abludit imago
Qui Cæſarem urget tam diu
Auertitq; alto incepto. iam barbarus hoſtis
Fugam parabat, Aethiops
Atq; moleſtus Arabs, Solymos prô Iupiter & nos
Qui habuêre habentq; peſſime.
Quid Franciſce paras? quid rumor differit? at non
Credam ſi Apollo dixerit.
Tun' tibi te eripies quando es ſanctiſſimus, iſtud
Chriſtoq; geſtas lilium?
Qui ſi arma unanimes dirum portatis in hoſtem,
Quæ fama uos feret? canet
Ingentes uos poſteritas ac gloria cælo
Vos ſiſtet excelſiſſimo.
Debellaretur nullo certamine, nullo
Negotio hoſtis improbus,
Et caput èx Erebo quæ nunc infamia tollit
Fáma ſit omni ingentior.

Ad Grauellium.

Si Fracaſtorio nihil fuiſſet

Cùm rebus medicis, erat Catullus
Vix deſiderio uiris diſertis.
Quid cùm legibus & foro Alciato?
Quid eſt cùm radijs Poo Archimedis?
O ſi nullo in honore ſit cucullus,
Honoratus Apollinis ſacerdos
Parnaſi coleret ſuprema templa
Atq; item Seripannus. O quot iſto
Sunt in ordine Sôle clariores.
„ *Res præpoſtera non ſolet placere.*
Si Phœbi dederis lyram Priapo,
Si Baccho, pelagi dei tridentem,
Ceſton ſi Veneris Mineruæ atroci,
Fulmen ſi abſtulerit Iouis, Cupido,
Rem tu ridiculam Grauelli haberes.

Ad Scipionem Capycium.

Cúr iuuenum luſus & muſica blanda relicta
Non, grandi natu ſit mihi, ſæpè rogas.
Accipe qua factum ratione ſit. hoc mihi primùm
Mandauit Phœbus Calliopeq; ſoror.
Fac, ſtudia à teneris tibi Anyſi cœpta tenorem
Seruent perpetuum mortis ad uſq; fores.
Non ideo ſum auſus quicquam mutare Capyci
Ne quid de iuſſis ſit mihi præteritum.
Si dixti illa animo iucundo & mente ſerena,
Hæc quoq; tranquillis auribus accipies.

De Venetijs.

Seu terra Heſperia, ſeu Ditem natus ad Indum,
Siue importuni qua Boreæ antra fremunt,

Vrbem Neptani, patres ſanctumq́ꝫ ſenatum
Obſeruet tota mente oculisq́; ferat.
Si non mentiri libet, Imperij decus uni
Vel Veneti retinent ab ſolio uſq; Iouis.

Ad Rufum.

Aure lupum teneo, ſic Rufe elaberis, arctè
Dum te contineo dulci in amicitia.
Cùm prece nulla iræ ſunt fœdera, nulla ſereno
Cùm Cælo nebulis, cùm niue nulla pici.

Ad Stephanum Brodericum & Ianum Phriapanum Epiſcopos.

Sic pede Danubius læto ſecet arua Lyæo,
Syluano & Cereri tempore grata ſuo.
Sunt ſuaues ueſtri mores Stephane & bone Iane
Vnde ſolum uertit ruſtica barbaries,
Non temerè uobis recludunt pectora magni
Reges & credunt ardua conſilia.
Vos merito ueſtro Muſæ Charitesq́; benignæ
Et lyricen toto pectore Phœbus amat.

Ad Narciſſum.

Quæ mihi fulgebat ſpes, hanc Narciſſe procaci
Das Euro in Syrtis littora proijcere.
At doluêre deæ quæ Heliconis habent ſacra templa
Ac præ terribiles ôre tulêre minas.

Ad Mariam Cabaniliam.

Nil maius certe à dijs immortalibus ortum eſt
Rebus perſancta ac nobili amicitia,
Hæc Iouis auſpicijs patronum agnoſcit Amorem
Quo gaudet felix regia Cælicolûm.

Tu Maria hæc quæſo nobis myſteria pande
Quando es Muſarum cantibus aſsidua.

Ad Fabritium Ieſualdum.

Quid faciam Fabriti inſertum eſt, hinc conſilium ſtat
Quod alteram deſiderat Tragœdiam,
Hinc aurem uellit ſcalaris qui imminet annus
Monetq́, Anyſi fata præuerte inuida.
Fata eadem uetuêre legi de ſordibus aurum,
Purum, putum Parnaſi amatur incolis,

[illegible]ίσ᾽αλληλον εχθρον

Heus tu qui ſuperas Cicerones Virgilioſq́
Ingenio & claros nobilitate uiros,
Qui ſuprà es Linon, Archilochũ, Demoſthenẽ, Home-
Et quos dignatur pulchra Camœna choro, (rum,
Si comicos tractas, leuis eſt tibi Muſa Menandri,
Si tragicos, rigido es grandior Euripide,
Si lyricos, fœdo ridetur Pindarus ôre,
Vnus nè forte eſt Ibicus in pretio,
Si doctrinarum ueſtigas flumina, ſordet
Magnus Pythagoras, magnus Ariſtoteles,
Omnes ſugillas piceis & dentibus iſtis
Mordes liuore & pallidus inuidia,
Improbe ſi perges, extrudent nomen Athenæ
Atq, interdicent & lare & igne & aqua.
Ερρε στυγα *àd ſacram cœno & te merge ſub illo*
Zoile uirtutum, Cerbere Pieridum.

Ad Ieſualdos.

Troiane, Lyſi, Fabriti, Hieronyme ſacra
Cohors Ieſualdum amœnum in oppidum

Matre à Parthenope conceditis alite dextro,
Pèr ſcire ſi conceditur equidem uelim
Quid, quantum diſtet ueſtro prò pectoris Albo
Celebritas præclara ſolitudine
Obſcura, quantum Centones *purpura & auro?*
Celebritas cùm Cæſare hinc abijt quoq;.
An nobiſcum unà portamus gaudia, luctus,
Lucem, tenèbras, quiſq; quo animo ſumus?

Ad Aeſculapium Pro Maria Aragonia.

O' Aeſculapi, cui ſacrum uiret nemus
Felix parturientibus
Lucina quod frequentat & Paphi dea
Cùm pulchro Charitum choro
Te oro, Merinen Dauali Alcmenæ parem &
Lædæ laudis honoribus
Seu poſcis animi ſiue honorem corporis,
Serua oro incolumem pater,
In uentre portat lilium aut Cypridos roſam
Edendam nitidum in diem.

In Cyrnum.

Ob iſta facta indigna Cyrne refricas
Maſtrilliorum nomen antiquiſsimum
Quo Chalcis appellabat inſignis parens.

B. *Martyrani Ad Anyſium.*

Te ſine noſtra tuos mærens it nympha pèr agros,
Squalida crudeles & uocat uſq; deos.
Te noſtræ Lauri, te noſtra arbuſta morantem
Et fagi & pinus & uocat omne nemus.

Quin Arethuſa etiam curarum oblita ſuarum
Pèr te turbatis in' mare currit aquis.
En ructat ſcopulos flammato Veſbius ôre
Ceſſantemq́; altis uocibus increpitat.
Dè me quid dicam? qui te nocteſq́; dieſq́;
Afflictus, lugens & uoco & excrucior.
Quare age Leucopetram longo poſt tempore Anyſi
Viſas & tecum gaudia cuncta feras.
Quod ſi te morbus perget triſtiſq́; podágra
Lædere, triſtitiæ non modus ullus erit.

De' Merine Cardona

Ver erat & placido ridebant omnia uultu
At mihi claudebat pállida parca diem,
Dulci continuit ſpe uitam dia Merine
Eq́; animam mortis faucibus eripuit.
Carduus egregius conuiuia ponit amicis
Qualia Cœlitibus maximus Oceanus.

Ad Regulum.

Ergo Naturæ grauis iſte eſt Regule morbus?
Debes Naturæ cùr miſerande parùm.

Ad Paulum Iudicem.

Mitto ſcitatum tua Paule oracula, cúr mi
Detumuêre pedes pertumuêre manus?
Iſidis an prorſùs tetigit me nobilis ira
Vt tumeam penitis deniq; uiſceribus?

In' Lyceum.

Ibis roſtrigeræ te nomine cúr Lyce fraudo?
Quandò utroq; tuo eſt fœdius ôre nihil.

In' Regulum.

In Regulum.

Phœbo abſq; Regule ego tibi reſpondeo.
Non expiari poſſe turc & hoſtia
Morbum laboras quo miſelle pectoris
Quo uſq; te Proſerpina ad Ditis domos
Satum releget ſemina imis manibus
Calumniarum pertinacem Zoilum.
Tuum proterua myrtus expectat caput.

Ad Franciſcum Regem Gallorum.

Franciſce, te per optimi Chriſti fidem
Oramus, obteſtamur, iram reprime
Quæ perditura ſecla rerum incenditur.
Quod Sepia Orci uirus effudit, ſacro
Reſtinguito fortiſſime Alpheo Hercules,
Si Fors ſinat, tu inferior haud Tirynthio es.
Si pergitis, niſi uana fert Deli Deus,
Hinc Totilæ illa ardere uideo incendia.

Ad Reges Chriſtianos.

Sic uobis Reges contingant omnia quæ mens
Optat ſceptrigero non renuente Ioue
Pacem compoſuiſtis & arma furentia in hoſtes
Conuertiſtis, io pax adamata redis.
Spargantur flores, percurrant dona Lyæi
Omnis & Aſſyria meſſe uaporet humus.

De Regulo.

Cum Zoili audiuiſſet arrogantiam
Quæ non Homerum faceret bili Regulus
Dedit operam Sophiſta euſq; ineptijs

Quò laurea donatus eſt dementiæ
Ludis latinis atq; Apollinaribus.

Ad Lycum.

At rite factum à rêge Cœlitum eſt Ioue
Qui penſat æqua lance res mortalium,
Et eſſe Bauios tunc & eſſe Meuios
Cúmq; his moleſtos Zoilos, doctiſsimi
Cúm ſunt Marones ex ſenatu Apollinis,
Qua claſſe te cenſebimus quæſo Lyce
Si Meuius ſimúlq; diſplicet Maro?

De Regulo.

Rufo colore Regulum agreſtem lycum
Qui ignorat, hiſce uerſibus norit probè;
Notum, cauebit quàm canem rabidam magis.

Ad Anyſium.

Si non ſtatim te uulgus in oculis feret
Quid mirum Anyſi? Homerus & latuit diu,
Flammasq́ uix effúgit egregius Maro.

Ad Regulum.

At admodùm non Regule iraſcor tibi,
Quandò es retrorſa mente & hamata, rubus
In ſenticétis qualis & teſquis ſolet.
Quod obuiam fit arripis, laceras, necas,
Nec parcis ullis Sôle ſub, rebus ſatis,
Malum graue, immortale, inexpugnabile.
Natura, pol nouerca dura tibi fuit.

Ad Adrianum Caudinum.

Quid eſt, quod omnes expetimus adipiſcier,

At mox adeptum precibus exigimus malis?
Si Adriane uixeris diu`, ſcies probè.

De` Regulo.

Natûra aſſueſcit dè primis unguibus & nil
Demutat cœpto mater ab ingenio.
Regulus à teneris natúra urgente nihil non
Eleuat & cœpto perſtat in` ingenio.

Ad Martyranum.

Reſpondeo quid Martyrane pluribus?
Quod peius odi maximo infortunio
Id per quam abundè naſcitur domi` mihi.
Beli puellas noſtra iam ſuperat domus.

De` Neapoli inſtaurata.

Auguſto quantum Romanæ cónditor urbis
Debuit, ut uidit marmore conſpicuam,
Petrēio tantum debet clariſſima Siren
Parthenope ſtratis compoſitisq; uijs.

Ad Terminium.

Si quis Ambroſijs Deûm relictis
Meras appetit eſuritiones
Fruſtrà hic numina Termini aduocarit,
Irata aduenient ferentq; læua
Reſtim, terribile altera flagellum.

Ad Thomiſium Pollium.

Polli præmiolum tui laboris
Non gemmas igitur putas & aurum?
O' ſim Phœbus ego, Aeſculapio ut dem
Gemmis carmina digniora & auro.

Ad. I. Thomam de Capua.

Si retines arctis labentem Protea uinclis
Fortior es nobis Amphitryoniade,
In biuio ille deas ut uidit dicere cauſam
Hæſit & incerto uix pede carpſit iter,
Tu nil cunctatus iuraſti in uerba ſororum
Thoma, pro Pindi uallibus, Aonidum.

Ad Iulium Camillum.

Vt arcus eſt ingenium, ubi intendis, uiget,
Lenteſcit at Camille ſi remiſeris.
Menſura tandem in rebus eſt longe optima.
Hoc, in theatro aſperge pigmentum tuo.

Ad Elyſium Aquilam.

Seu quis laceſſit aſperis conuicijs,
Seu laude tollit Cœli ad uſq; uerticem
Scrutare pectus teq; ad illa compara
Aut corrigendo aut continendo in laudibus.
Hoc Elyſi imple teq; dicam dijs parem,
Dignumq; comitem Cæſaris belli & domi.

Ad Elyſium Poum.

Secure hac aura quod ueſcimur, ambige tu nil
Noſtri immortalem pectoris eſſe deum,
Intereunt alia, hæredem mox orta ſecuntur
Atq; noua extinctæ ſufficitur ſpecies.
Et tu Cocceio ſuccedis, cur Poe te fert
In medijs oculis Hebus Abantiades.

Ad. I. Paulum Cæſarium.

Vis eſſe amico amabilis, Cupidinis
Pſycheſq; amice Paule amorem diſcito.

Ad Cephiſum.

Quis iſte morbus iſte quis potius furor?
Semper quid magnis addere diuitijs.
Cephiſe quando tam beatus es, uetus
Elogium ſerua. Non habeas quod habes.

Ad Rufum.

Sic aries tibi Rufe placet? dè môre puellas
Odiſti, ſequeris decrepitas Hecubas,
Cúm tener eſt, menſis optatur carduus, at cúm
Horreſcit ſpinis, Mulcibre demetitur.

De Amore Dices.

Nocti'ne an'ne diei plus ego debeam amatæ
Non facile eſt ſcitu dulci in amore Dices,
Illius in ſomnis mi uſq; obuerſatur imago,
Omnes in ſomnis deliciasq; facit.
At iubare exorto redit Orbi uera & imago
Et ſpecies quæ homines Cœlicolasq; capit.

Ad Fabritium Lunam.

Si rebus tantùm inſudaſſes Luna latinis
Quantùm iſtis, o' quæ laus ſequeretur opus.
Temporis eſt iactura grauis morsq; imminet, ergò
Flamina currenti da meliora rati.
Aſpice quàm læta eſt germani lampade Phœbe,
At terræ oppoſito corpore, triſtis abit.

Ad Ber. Sanctium.

Cui'nam credendum? ſi flos mentitur odorem,
Nec ſuccum reddunt gramina læta ſuum.
Non roſa laudatur, Narciſsi non coma pulchra eſt.
Quid Sancti dicam? Fraus mala, ſumma tenet.

Ad I. Paulum Cæſarium.

Dum contemplamur Cœlum Tellure relicta
Quæ ſunt antè pedes cérnere negligimus.
Quàm bene finxerunt, Cancri periiſſe Giganta
Immenſum morſu Paule perexigui,
Sæpè ergò oraui legeres mea ſcripta, minutæ
Ne quid ſit labis quòd graue fœdet opus.
Non mihi Tyrones docti non ſunt & Alexes
Quis fretus tanto nauigem in Oceano,
Si puppis mare potet, cùm uectore magiſter
Obſcœnis Orcis prandia lauta paret.

Ad I. Hieronymum Ianuarium.

Conſulto ſpeculo formoſe Hieronyme confer
Inſignemq; animi corporis & ſpeciem
Et conâre ſimul componere, neutra malignis
Ne alterius uoto morſibus officiat.

De Lyco.

Non Lycus ignorat quid differat utile boneſto,
Metitur at, præclarus hæc libidine.

Ad Hieronymum Martyranum.

Multi doctrina nobis Hieronyme multò
Cudunt maiores carmina & ingenio,
At deſunt bilares Charitum Venerisq; lepóres,
Neſcio qua factum ſit ratione tamen,
An quia naſcuntur Cœlo radiante poetæ,
An quia non omnes aſpicit æqua Venus?

Ad Rufum.

Ne Rufe barbam uellito famelico leoni,
Viuo, ualenti, ne unguibus petat furens aduncis

Tua uiſcera, nec ullus locus fugæ tibi ſit uſquam.
Sibi exigit, qui nequitèr negotium faceßit
Suoq́ ſibi gladio ferit iubente Ioue ſupremo.

In Regulum.

Vtraq; es nimius ligula, nihil atq; pudet te
Regule, ſed multò eſt acrior inferior.
Exigua hæc Elephantus habet, quia uaſta licet ſit
Belua, uirtute eſt nobilis egregia.

Ad Felicem Sanſeueriniam.

Vicerit Helionora Deas quòd uallibus Idæ
Laomedontiade iudice magnanimo
Non ideò Felix Bibuli tibi nomen inuſtum eſt
Iulio & audaci Cæſare conſulibus.

Ad Muſas.

Vbi'eſt, ſorores ueſtra maieſtas, dei
Longè ſagittis appetentis pectora?
Nuſquam locorum. uos nec homines pérditi
Honore proſequuntur, hilum nec timent.
Aut ueſtrum inane nomen eſt Libethrides,
Mortalium aut, quod arbitror, nequißimum.
Impunè, ſi uos eſtis, at non auferent.
Olim redibunt illa ſecla candida
Vbi improborum nomen audiet malè.

Ad Muſam.

Quod mihi conſilium das Muſa? ingrata recanto
Pectora, utì meritis carmina digna ferant?
At maneant, quandò indignum ſeſe it ſcelus ultum.
„ *Non fugiunt Nemeſin improba facta deam.*

Tam uario genere & cauſis latitantibus extrà
Quæ factitauit diligens antiquitas
Scribebam non inuitis Epigrammata Muſis
Qua laude, pulſa lector Inuidia uide.

Ad Muſas

Morbus auaritiæ occluſit mortalibus aures
Laudibus ut non ſit, nec locus opprobrijs,
Auditis Muſæ quæ iſtis oppedimus & quæ
Accinimus? poſthac uos date conſilium.

In Tragœdia & Comm. hæc corrigantur.

34.	17.	a.	*prorſus*
67.	24.	a.	*cælo*
67.	9.	b.	*conſumandam*
80.	1.	b.	*Baſiliſci ueneno ſiſſimi,*
82.	27.	b.	*ijſdem*

In Poematis.

4.	26.	a.	*meditans;*
6.	9.	a.	*exanimata*

Ioannes Sulzbacchius deſcribebat Neap.
M. D. XXXVI.

Ianus Anyſius Valentino Gentili S. D.

Ide quid incuria præfectorum facit ne auaritiã
u dicam aut nequitiam. Illi noſtri Triũuiri *men ſarii dum prioribus a ſtudent nimium, tertium ferè contempſerunt, nec cæteris fortuna pepercit dolis, meminiſti enim illarum expers non calamitatum, ſta/tim ut ſcripta edere ſumus aggreſſi, idq; primum, iterum, tertium ac deinceps, q̃obrem tantũ nobis negotii notis cor/rigendis quas iuſſerunt, eſt relictũ.* Non *mehercule ſine ſtomacho, ut qui huiuſmodi plagas reformidem, lego atq; recognoſco, nunquam enim non aliquid offendo, & tenuiſſi mus quiſq; ſcrupulus mihi pro ſcopulo eſt ingẽtiſſimo atq; id iure optimo quidem, nam enixè per totam uitam adlabo raui ut nulla ne leuis quidem ſcabrities relinqueretur per hortos noſtros ambulantibus quæ pedes aut oculos mora/retur ullámue pareret offenſiunculam, ne dum ſalebra* Zoilis *ac calumniatoribus obiiceretur, quæ daret anſam ad oblatrandum. Sed ſatis alibi ſumus conqueſti.* Tu *qui noſtris lucubrationibus cudẽdis operam nauaſti fideliorẽ, ſi uidebitur, pauca hæc non ſubticebis.* *Vale.*

V alentinus Gentilis Lectori.

Viſum eſt etiam quæ ferax ac beata Iani Anyſii *pro/ximam poſt editionem peperit Camœna, bis adnéctere li/bellis.* Q*uod ipſe in epiſtolis ac poematis tãtoperè dolet, puto mecum ſenties* Lector, *id mihi permagnũ* Virtutis, *ſub qua militans ætatem exegit, eſt argumentũ, nempè cui totis uiribus omniq; contentione* Fortuna *aduerſatur, ut hinc facile ſperandum ſit & tanti uiri nomen & ſcripta* Virtutis *præſidio fore immortalia.* Vale.

Quæ denuo occurrerunt.

In poematis Iani Anyſij.

39. 23. b. *illa tenellis*
Buccis è liquidis fontibus haurit aquam.
84. 23. a. *Morum & relligio f.*
90. 1. a. *Obſecro Violanthi formæ honorē*
Commendent charites benigniores.
Mitem uerte oculum uideq́; ut intus
96. 15. b. *Vidit & fr. Erida. minaci*
Tot, quibus non eſt adeo ſecunda
101. 8. b. *Num nam Hel. Arg. Ven. num nam*

In Satyris.

57. 23. a. *in mores hominum*
106. 15. b. *natis, in faſcijs,*
112. 7. b. *Non agno taurus prim. c. a.*

In Coſmi Anyſij Poem.

15. 4. a. *militiæ & domi*
85. 5. b. *Fame in prærabida dapes miniſtres*
Iſto ex corpore rancido arctuatim.
93. 15. b. *Non, pretioſa diu gēma ſepulta iacet.*
111. 1. b. *Aſt alio ex latere excuſſus miſerabilis alter*
Fit permutata piſcibus eſca, uice.
122. 7. b. *Puppes ut ultro & citro euntes*
124. 7. a. *Quanuis ſeuerus non potis q. f.*
138. 16. b. *Inedia aut uincet cæcum a. m. r.*
187. 23. a. *puellas & pueros*
187. 8. b. *qui's deus dijs, bom.*
193. 4. b. *ac ueluti primoribus labris delib.*

IANI ANYSII VARIORVM POEMATVM LIB. III.

Ad ſodales Vrbanos.

Iſtic lautiùs, ô mei ſodales.
Erratis, procul eq́; uéro abitis.
Hic res cùm Bromio eſt meraciore
Dum ſyluam, Liparæ domat tyrannus
Sub prunis crepitantiq́; dona ſyluæ,
Scriblitæ & gracili placenta certat,
Iactanturq́; ioci leuesq́; riſus.
Mox bellè Genio admonente ſomni
Noctes perpetuas damus ſopori;
Procul triſtitia proculq́; cura.
Hic uilis teges Attali æquat Oſtrum,
Hic læti ambitioſa regna regum,
Et Brumam & piceum eleuamus Auſtrum.
Quód ſi plus ſaperem, domum licerer
Quanticunq;, minoris, aſsis, hili,
Fraudat commoda ruris urbs beati
Frontem candida, pectus atra Siren.

Ad Alphanum.

Quod ſupplices orauimus cunctos deòs
Atq; impetratum detinetur in ſinu;
Id turpiter damnare quæ impudentia eſt?
Hæc conde corde Alphane certa oracula.
Cui non ſenectus æqua contingit, parùm
Huic contigiſſe exiſtimato commodè
Aetatem adultam atq; nitidam puertiam.

In Arelium.

Vas eſſes hederæ è ligello Areli
Vt omne euomeres repentè uillum
Hauris quod ſinè ſine terminóq;
Phyſeter Bromii ſacerq́; Typhon.

De Caputo.

Qui thecam uidet inguinis Caputi
Amplam funiculisq; deligatam,
Corbitæ propè môre Dalmatarum,
Horrendi hoſpitium putat mutonis.
At eſt uerpus, amentulus, recìſus
Et capus Berecynthiæ Caputus.

Sarnus fl. lapideſcit.

Mœnia Thebarum & Troiæ cui fabula uiſa eſt
Scitum & commentum nobilis ingenij
Num Sarni credet muros & tecta ſuperba
Humorém gelidi fluminis eſſe & aquam?

Ad Seripannum.

Qui mortem accuſat, naturæ eſt pergrauis hoſtis
De cuius lêge eſt ortus & interitus.
Natorum ſi dulcis amor, ſint ſemina oportet,
Finis ut excipiat nobile principium.
Nón ne uides uiuas ſubiecto fomite flammas?
At quá lêge ardet fomes? ut intereat.
Nobis ſit melius nec in auras uita recedat
Nec Phlegethonteo dicta ſit offa cani.
Cui rerum ſeries non ſat Seripanne probatur
Quo numero hunc habeas? peſtis & exitij.

De Franciſco & Carlo.

Quis potis eſt hominum ſcrutari pectora, denſas
Per rerum ſyluas auſpice conſilio?
Cunctando Fabius Romanam reſtituit rem,
Pugnando, forti pectore Scipiades.
Franciſcus didicit generoſi pectoris æſtus
Tandem conſtanti uincere conſilio.
Carlus præſcriptum præter non uile putauit
Palladis admonitu ſcire referre pedem.
Militiæ has artis in Parthos uertite Reges
Vnde triumphalis laurea nobilior.

Ad Mantianum.

Oro, oracula quæ Chorellia olim
Prudentiſſima nympha conſulenti
Reſpondebat, amice Mantiane
Reſponde mihi, num ſatis lucello
Pulſa nequitia doloq; cedent
Diuo Nicoleo iſta quæ paramus?

De Heroibus Ieſualdis.

Loton ſydera ad uſq; laude tollit
Nobiliſſimus omnium poeta,
Illa dulcius eſſe nil fatetur.
Sed quis Lotophagos ſub axe quærat
Aduerſo Odryſij Bootæ hamaxæ?
Quid ſi non procul indicaro abeſſe?
Conſanos uia longa non remouit
Noſtræ à Parthenopes ſinu beato,
Hic tu dulcia liberalitatis

Hoſpes inuenies legesq; pôma
Lotóq; & dape dulciora diuûm.

Ad Ferantium Bäianum.

O ſemper ſit hyems, cæli inclementia, bellum
Naturæ, rerum mors, labor, exitium.
Hæc potius, primo quàm quæ Mars uêre minatur
Nulla ubi tuta mora, nulla ubi tuta fuga.
Ah ſæuo Arſacide timeo, tardatá; ſenectus.
O Bäiane ſi habes da mihi conſilium.

Ad Amicos.

Itáne inuidêtis otium Camœnarum
Nobis amici? erratis auių toto
Cœlo. furórq; & eſt Erimnyum rixa
Hoc quod putatis otium eſſe uos molle.
Quod fabulæ de inſano Oreſte confingunt
Ad uultures qui corda noſtra rimantur
Noctes diesq; credite eſſe tantillùm.
Non ſentiet uobiſcum Apollinis Zanclus
Caput ſacerdos laurea coronatus,
Non, Bembus Helicon quem ſibi ſtatuit Phœbum
Et tot ſub illo principes uiri ſigno.

Ad Martyranum.

Dediſti uitio, quòd improborum
Noſtris nomina honeſta ſint libellis.
Res indignior illa Martyrane
Tactis propterea ſacriſq; & aris
Me non prò meritis remunerari.
O ſeclum impietate ſingulari.

Ad Lampetien.

Si ſapis, imperio formæ ne fide ſuperbo,
Quæ te dijs æquat iam prope Lampetie.
Iſtam Fortunæ *faciem prolixius æquo*
Quæ tibi blanditur nilq; benigna negat
Heu formidandum ne mutet & omne ſerenum
Inuoluat fœdis perfida turbinibus.

Ad Muſas

Cur hilares quondam Muſæ in ſqualore ſedetis?
Sunt hodie quoniam ſurda hominum ingenia.
Cur ſi ſucceſsit minùs hâc, non eſt uia uobis
Lecta alia? haud patuit. quâ ratione? quia
Vna in Parnaſum uia. num ſpes ulla uidendi
Ver illud rerum? nulla uel exigua.

Ad Agathium Iulianum.

Interdum hæc mecum. tantum farraginis undè
Hoc noſtrum exiguum ſufficit ingenium?
Aſt Agathi temerè. certe diuina propago
Vaſtuſq; humanum eſt ingenium Oceanus.

Diuæ Luciæ miraculum.

Iactet ſuos antiquitas deos licet
Miraculaq;, ego certa uiſaq; eloquar.
Vrebar ab ſacro igne nec multum ſuper
Vitæ iam erat, cúm Luciam precibus uoco
Matris memor uexatæ eodem Mulcibre,
Ecce ſubito diuino ut actus numine
Vlcuſq; aperio & tergeo humana unguina
Quæ me ferè ire adegerant Ditis domùm

Linoq́ nectar Diua quod parauerat
Vel Moly uel cœleſte Dictámum reor.
Dicto ocyùs receſsit æſtus & dolor
Vnaq́; Parca quæ parata aduenerat
Flauum ſecare crinem aduncis ùnguibus.
Sic reſtitutus Orci ab uſq; limine
Quodcunq; uitæ eſt Luciæ acceptum fero.

Ad Felicem & Helionoram Sanſeuerinias.

Nil temerè dictum diuinis uatibus, aſtra
Vos duo clara domus credite ſydereæ
Felix & ſecli decus Helionora ſorores
Quas dedignantur non Helicone deæ.
Eſt geminum corpus, cæleſte & ſemine natum
Aſt unus tantùm nobilis eſt animus.
His Iuno & Cytherea præeſt, illi inclyta Pallas
E' queis progenitus dicitur eſſe Paris
Qui temerè èx Idæ ſpecula metitus honorem
Europam atq; Aſiam & ſe dedit exitio.
Conficit illecebris, oculis oblata Voluptas
Ni' aduerſùm, opponens Aegida Pallas eat.

Ad Alex. Ruſinum.

Quid tu? moturúm ne putas Rufine Phrabaten?
Dum noſtri arma manu tam metuenda tenent?
Soluiſſet certe, fuerat ſi tanta libido,
Pèr tempeſtatem dum uia aperta fuit.
Fœdera cùm Gallo ſi Phœbus dixerit ipſe
Non credam, nullis fœdera pignoribus.
Si ſoluet, certe his ægrè regionibus eſſet,
Mox illis auſis abſtinuiſſe uelit,

Nam

Nam coniurabunt aduerſus, fortia noſtri
Corda duces totoq; æquore deijcient
Deijcient communem hoſtem centumq; moloſſi
Concurrent alacres fata ad acerba lupi.
Non tamen interea ſtertendum. uincere ſi uis
Magni hoſtem facito ſitq; puſillus homo.
Non trepidare etiam Babylone uidebimus hoſtes
Et dare Romanæ ſubdita colla cruci?
Quid grati tantum Veneri & fecêre Gradiuo,
Vt tam longa ipſis otia præniteant?
Illic Saturnus poſuit ueſtigia, Ianus
Illic clauſa bonæ limina Pacis habet.
At nihil abſq; deo eſt, illi ſunt omnia curæ,
Ille ortus rerum nouit & interitus.

Ad Iäcóbum Scarnatum.

Cúr homines poſiti ſupremo in limine uitæ
Deſperant minime uiuere poſſe tamen?
Cúr pictor Zeuſis atq; admirator Apellis
Audet tot fucis tinguere peniculos?
Cúr poſt Virgilium & diuum non ſcriptor Homerum
Artes Parnaſi deſijt egregias?
Spes alit, hæc tollitq; animos Iäcôbe monetq;
Virtutem laxis currere carceribus.

Ad Fr. Cinnamum.

Si pergent odiis noſtri concúrrere Reges

Pſalmus.

Iuppiter omnipotens cui rerum ſumma poteſtas
A' patre conceſſa eſt longe' ante' exordia rerum
Heu quianam tanti uertérunt æquora fluctus
Sub pedibus trepidatq́; sõlum mugitq; profundum
Et nox cæca repente' oppreſsit lampada Phœbi
Et mors ſeſe offert ſimulacris horrida miris:
Aſpice nos tandem atq; malis ſuccurre ſupremis.
Nos tua progenies, tu nos in' luminis oras
Edûſti, num'nam exitio eduxiſſe queremur?
Non ſatis' officio ac meritis feciſſe, fatemur,
At pœnam iccirco poſtremùm ut morte, luamus
Exemplis ſuperent quæ tela horrentia mortis.
Aſpice nos tandem atq; malis ſuccurre ſupremis.

De Patientia.

Priſci neſcio quem canunt Iöbum
Exemplum Patientiæ, quòd arua
Vis corrumperet imbrium, quòd ædes
Vis abſumeret ignium, capellas
Eſſet quòd ſcabies, lues iuuencos.
Sunt hæc perleuia. eſt mihi ille fortis
Qui poteſt tolerare uim podágræ,
Qui ingratos patitur grauéſq; amicos
Qui ignauos patitur leuéſq; ſeruos,
Qui fert iurgia tinnuláſq; uoces
Monſtri Zelotypiq́ & impotentis
Noctes perpetuas diéſq; totos.

Ad Camœnas.

Iô Camœnæ, nulla non deniq; reſtat
Spes, læta poſſe ſecla redire patrum.
Pretioſa mittit dona Phernesius heros
Regum propago ſic uariante uice
Eſt ſimile portenti pol hodie dare quenquam
Minori, amico & ueſtro Heliconiades.

Ad Ant. Minturnum.

Si nec honore ſuo Diuos nec rite uocamus,
Si ſcortum in templo & ſcortea conſpicitur
Quid mirum eſt igitur ſi in nos Minturne feruntur
Infeſtis ſignis agmina Cœlicolum?
Tutiùs in Syluis aliquantùm credimus eſſe
Quò non dum illapſa eſt omnis ab urbe lues.

Ad Anyſium ſenem.

Euge iam patrias Anyſi in oras
Eſt iter tibi commodum, lucerna
Quando id ſignificauit ominoſa
Offundens tenebras repentè menſæ
Saturni dapibus dei ſupremis.
At iacent Iouis in genu hæc, iubebit
Ipſe rex hominumq; Cœlitumq;,
Vitæ non ego deprecor laborem,
Vita nam ſenis eſt laboſq; onúsq;.
O tandem liceat tenêre portum.

Ad Gentilem.

Compoſito qui animo eſt medijs hic uiuat Acerris
Perfluit hâc illâc perpete lætitia.
At cui hæret mens hic Gentilis luce ſerena
Caligat, pratis languet & Elyſijs.

Ad I. Paulum Cæſarium.

Non animi cauſa diuerto Paule in agellum
Linquens Strenis mœnia Parthenopes
Sed uito inuidiam qua flagrat in urbe iuuentus
Quam laqueis cepit delicioſa Cypris
Vito importunos deteſtandos'q; Sinones
Sanctum uſurpantes nomen amicitiæ.
Aut erat his præter ſortem, mos ſæpe gerendus
Aut expectandum Socratis exitium.
Prætereo prudens incommoda quæ urbs alit intus
Perpetuas noctes perpetuoſq; dies
Hoſtis, amicus, pompa, hymenæus, ſacra, profana
Punctimq; & cæſim pectora confodiunt.
Hæc mala in urbe palàm fecerunt caſtra, Cupido
Et Dolor audaces conſeruêre manus.
Dúmq; Duces certant odijs ita prona cadit plebs
Vt folia autumno flante Aquilone cadunt.
Deterius ſeclum nulli uidêre Nerones,
Deſcribet dignis ſepia nulla notis.
Hic inter ſyluas meliuſculè habetur, anhelum
Saturnum dum Mars aſpicit ôre truci.

Ad Sertorium Piperonem

Sertori chóreis alacer ſuccede ſororum
Quæ ſaliunt Pindi in uertice, Phœbus ait.

Hic tibi ſi cantum dat habere fidiſq; loquentes
Impiger heroum grandia facta cane.

Ad diuum Nicolaum.

Tu non Nicoleos neſcis per quos ſtetit hebeu
Quo ſit rapta minus res repetita tibi.
Det meritas pœnas age Diue ad Tartara quiſquis
Mentitur ſanctum nomen amicitiæ.

Ad Aquinum.

Sunt nugatores iſti quos credis amicos,
Et ſunt menſores commodi Aquine ſui;
Ne aſſe quidem redimant indignum funus amici,
Iacturam, exilium, naufragia, interitus.
Difficile eſt iſtos cæcos uitare Procuſtas.
Dij tales peſtes perdite fulminibus.

Ad Arigerium.

Num res noua eſt tibi Arigeri aduerſarier
Virtuti, iniquæ Fortis ingenium, deæ?
Sin' eſt uetus, contemne manis impetus.

Ad Egnatium.

Hoc in perfidiam clypeo prolixius utor
Egnati, tolerans pleraq; diſſimulo,
Carminibus placo inuidiam, conceſsit Apollo
Mentiri uatum carmina blanda loco.
Fortè recantabo atq; iſtos ulciſcar amicos
Qui fronte Ambroſiam, corde Aconita ferunt.

In Petronium.

Tam male cúm dicis quæ res eſt mira Petroni,
Si nunquàm noſti commoda uerba loqui.

In Rufum.

Quid Rufe cauſæ eſt quod pilos reformidas.
Cúm tàm libenter perſi quare ſetoſos?
At at petenda oracla ab uſq, ſunt Delphis.

In Nauſithoum.

Viciſti Scheriæ arbiter, fatemur,
Sed uictoria, dic an iſta honeſta eſt?
Egregiam laudem inuictum moltrice aurum
Imbelli ſcoriæ fata per inſidias.

Ad.I. Franc. Vrſinum.

Quæ parcæ neuêre genu Iouis abdita non eſt.
Vitâre enſe, manu, conſilio, arte, fuga.
Sat uirtute tua ac maiorum es diues honoris
Auriq;, at reſtant tertia dona tamen
Natura hæc poſcit. cape cunctas Iane figuras,
Omnia Neptuni, Ditis & antra pete.
Ad pedicas tandem clauumq; redire neceſſe eſt
Quem fixit Clothus lêge iubente, Venus.

In fratris filios.

Audite fratris filij quos indoles
Oſtendit eſſe non ſupino pectore,
Audite uerba uera quæ uobis loquor.
Ego illa uobis liberaliter dedi
Quæ eſſent ſatis ſuperq; ſex frugi uiris.
Si ſimitam uos Herculis tenebitis

Rem gloriamq; Anyſiorum augebitis,
Sin aliter, ea quæ contuli nolim data
Nec parcam ab uſq; manibus diræ preci.

Ad Gregorium Corteſium.

De primis faſcijs ad cana hæc ſecula ſeptem
Quæ nouies Brumæ frigora dinumerent
Quid niſi curarumq; æſtus fluctusq; doloris
Vidi, qui peterent pectora pernicie.
Vix inter tenebras ſcintilla apparuit, atqui
Non adeo longo tempore demicuit,
Gregori id inuigila Dolor & maleſuada Voluptas
Vt te quamminimum caſſibus impediat.

Ad Cæſarem.

Compone dotes quæ hauriunt Cæſar domos
Spurcis luparum deuorandæ faucibus.
Compone mores Palladi inuiſos uti
Parum uiriles, perſicos, babylonios,
Et quos Gradiuus ore toruo deſpuat
Cum furta linquit delicatæ Cypridos.
Prô Iuppiter, perſona pluris q̃ boum
Par uenit. artes fœdæ in alto ſunt loco.
Hic omnis eſt popellus boſce ſequens duces.
Quid? ſi Arſaces moueret? exciperent ſine
Te, molem Enyus, qui ne alunt equum quidem,

Ad Muſam.

Aut quicquid ſupereſt uitæ mihi Muſa tacendum,
Emerito ſi non cultior āra fuit
Quàm ueſtra, atq; hærent greſſus tardante ſenecta
Atq; attrita iugo colla ſuperba iacent,
Aut proſcindendum dura ceruice Tyrannos
Perpetuis iſta & ſecula carminibus,
Et ſunt qui me promeritum petiêre cruentis
Sannis, diſpoſitis omnibus inſidijs.
At quando eſt hodie multo præclarius illis
Qui omnia corrodunt, hoc teneamus iter.

FINIS.

